




The first part of the report  
 deals with the general  
 situation of the  
 country and the  
 progress of the  
 work during the  
 year. It is  
 followed by a  
 detailed account  
 of the various  
 projects and  
 the results  
 achieved. The  
 report concludes  
 with a summary  
 of the work  
 done and a  
 list of the  
 names of the  
 persons who  
 have assisted  
 in the work.

FOCVS SEVERVS,  
 HOC EST,  
 TRIBVNAL  
 ÆQVVM,  
 QVO  
 NOCTVARE-  
 GINA AVIVM,  
 PHOENICE ARBITRO  
 POST  
 VARIAS DISCEPTATIONES ET QVE-  
 relas Volucrum eam infestantium pronuntiatur, & ob sa-  
 pientiam singularem, Palladi sacra-  
 ta agnoscitur:  
 AVTHORE  
 MICHAELE MAIERO COM. PAL. M. D.







# EPIGRAMMA AV-

T H O R I S.

**N**OCTVA Athenarum quondam celebrata volucris  
Prestat Palladias dotibus inter aues:

Illi præ reliquis namque est prudentia, lucem

Dum creperam fugiens, lumina Solis, amat.

Symbolon hoc illi sub pectore, *ἄθε βίωσας,*

Inde sibi soli viuere dulce putat.

Arboreas inter latebras, locaque inuisa degit,

Turbas multirepi dum fugit ipsa fori.

Nocte suos cantus iterat studiosa silenti,

Ardua cum mentis vis ratioque viget.

Nulli se nocuam præbet, sed semper amicam

Omnibus, hæc causa est cur odiosa malis:

O misera volucrum, cur vos premit ira, cohortes,

Noctinagam rabie car oneratis auem?

Hæc non est odium, sed enim diademate digna,

**N**OCTVA Regina nomine digna venit.



P R Æ F A T I O A D  
L E C T O R E M.

**E**N tibi iterum, candide lector, Iocum SEVERVM in sinuo, quem aliquando nocturnis horis ad vulcanias operas potius ad fallendum silentij illius moras, animoque obtemperandum meo, lusi, quam, vt vulgo ederetur, perfeci: Cum vero & ab aliis, nescio quo consilio aut affectu expeteretur, noctuam hanc licet inoportunam, tamen melioribus auibus credidi & euolare passus sum, tum vt inuidæ cohortes, quod mordeant & infestēt, tū vt alij iudicij syncerioris, quo se oblectent, habeant: Quia recte dicitur ab illo:

*Vita hominum scena est, lususque, aut ludere  
discas*

*Curis sepositis, aut miseranda feras.*

Nolim tamen existimes, huic ioco nihil

subesse feueritatis, aut ita, vt sonat omnino intelligendum esse, quod licet rationalis quispiam per se olfaciat & imaginetur, nec opus habeat aliqua explicatione, tamen propter rudiores, ne illi prima fronte aberrant, quid subintelligatur, hic præmittendum erit: Est autem *Noctua* non noctua, sed (de mundanis loquendo) ars artium & scientia scientiarum, *CHEMIA*, quæ à diuerso hominum genere quotidie accusatur, contumeliis afficitur & conuitiis proscinditur, nempe *primo* à stultis, stupidis, indocilibus & indoctis, quales describuntur sub nomine cornicis, graculi, picæ, corui, anseris, hirundinis; *secundo* à literatis quidem, sed rei veritatis ignaris, iique denotantur sub nomine philomele, psittaci, gruis: *tertio* ab auaritia præoccupatis, mente improba, ceruice dura, nimis credulis, inconstantibus & sumptus expendere detrahentibus, qui significantur per cuculum, monedulam, picum, ardeam. *Noctua* dicitur, quia in tenebris viuit, multisque noctium laboribus acquiritur, de qua Auicenna *lib. de anima dict.*

Quid sub  
NOCTUA  
intelligitur.

6. cap 17. Ego hoc totum, inquit, didici frequenter legendo, & parum dormiendo, & parum comedendo & minus bibendo, & quantum expenderunt socii mei in lumine ad potandum vinum de nocte, tantum ego expendi ad vigilandum & legendum de nocte in oleo, & quantum expendebant in comestione, amplius expendebam ego in lumine ad vigilandum & discendum de nocte: Et nisi hoc facerem, non scirem de magisterio. Hæc ille.

Quæ vero causâ fuerit, cur Noctua Palladis & sapientiæ avis Athenarumque doctissimarum quondam propria fuerit, eruditis forte inoleuit, licet vulgo fortuitum quid videatur: Eadem certe nobis in proposito est, cur Noctua reginam auium dignemur & indigitemus: *Phœnix* vero illi iudex appellatur, nempe ex auium genere iustissimus & opulentissimus, ne quid in gratiam illarum aut odium huius dicat: qui an vnquam, qualis putatur, vixerit, an vero alio modo, cuiuslibet disquirendum relinquo: Qualis autem fuisse hæc avis credita sit antiquis temporibus, ex Tacito



huc adscribam : Is lib. 6. annalium sic narrat: Anno urbis 787. Paulo Fabio, L. Vitellio Coss. post longum seculorum ambitum avis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiam doctissimis indigenarum & Græcorum multa super eo miraculo differendi : de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognita non absurda, promerere libet : Sacrum Soli id animal & ore ac distinctu pinnarum à cæteris auibus diuersum, consentiunt, qui formam eius definiere: De numero annorum varia traduntur: maxime vulgatum, quingentorum spaciū: sunt qui adseuerent mille quadringentos sexaginta unum interici, prioresque alites: Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolasse, multo cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium: sed antiquitas quidem obscura inter Ptolemæum & Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt: Vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque usurpauisse ex his, quæ vetus memoria firmavit:



manit: Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, ei-que vim genitalem affundere, ex qua foetum oriri. Et primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato myrrha pondere, tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram perferre atque adolere: Hec incerta et fabulosis aucta: ceterum aspici in Ægypto eam volucrem, non ambigitur. Huc usque Tacitus.

Quibus Orus Apollo Niliacus, in Hieroglyphicis suis cōsentit, ubi scribit, quod Phœnix Avis post quingentesimum annum cum iam est morti propinqua in Ægyptum remeat, ac si praeveniat ante obitum curatur mystice ab Ægyptiis, et quaecumque aliis sacris animalibus tribuunt haec et Phœnici omnia debentur: gaudet enim sole maxime Phœnix, in Ægypto praecipue, utpote illic vehementi: Vbi notandū, quod dicat mystice eū curari ab Ægyptiis & quod omnium animalium hieroglyphicorum notam vnus Phœnix in se recipiat, quia propter eum instituta sint, utpote Soli sacrum.


At

At nos de numero annorum inter vtrofque Phœnices, parentem & prolem interiectorum, non sumus solliciti, cum inde nulum de veritate dubium contingat, siquidem nouerimus iam citius, iam serius eam auem in Ægypto rediuuiam comparuisse: Quod vero affirmatur à *Tacito*, consensu omnium, esse animal Soli sacrum & in Solis urbem aduolare, corpusque demortui in Solis aram deportari cremandum, ad rem maxime facere intelligenti non dubitamus. Præterea *Accipiter* non inconsultus orator *nocturnæ* adest, dum ream non ream, sed *reginam auium*, multarum rerum testimonio asserit & conuincit, quæ sententia cum iudici ipsique æquitati approbaretur, à nolentibus, volentibus, quibuscunque accepta fuit.

Tantum pro argumento operis intelligenti sufficiet, cui ad gratiam augēdam varia carminis genera, pingui tamen Minerua exarata, superaddidi, vt menti auribusque cuiusque non indiscreti arbitri satisfacerem, simulque veritatem, cuius radix amara dulcis est,  
 sub

sub totinuolucris latentem instillarem, quam si quis, vt solem media die irradiantem aquilinis perspiciat oculis, noctuinis meis vmbri non egebit : Si vero quis in ignorantia claustris huc vsque detentus fuerit, huic hoc crepusculum ad maiorem lucem aucupandam non insalubre futurum est, quod qualecunque sit, certe non infrugiferum tibi erit, lector, quem nolim hæc *tria auium genera* in attendendis Palladiæ Noctuæ calumniis, sed potius *accipitrem* imitari *more, ore, re*, quo Phœnicem non *Africa*, seu saltem *Aegypti* incolam sed & *Europa*, totiusque *orbis*, iudicem veracissimum experiaris, nec figmentum meum, tanquam de re nusquam existente, sed verum arbitreris. Vale.





# OMNIBVS VERÆ CHY- MIÆ AMANTIBVS, PER GERMANIAM

NOTIS ET IGNOTIS, ET INTER HOS, NISI NOS FA-  
ma fallat, ILLI SANGVINIS GERMANICI ORDINI, adhuc de-  
liteſcenti, at FAMA FRATERNITATIS & CONFES-  
SIONE SVA admiranda & probabili, inge-  
[nere] manifestato, ascribo, dico  
& dedico.



*VERI, veri nature scrutatores siue noti siue ignoti, quantis hoc nostro seculo CHYMIA laboret odii, hoc est, quomodo non solum abiecti ingenii homines, sed quoque alias docti indies eam conuictis proſcindant, contumeliis onerent & diſteris accusent, cuilibet veſtrum facile occurrit: idque ideo, quia nullam experientiam ſua imaginationi contradicentem unquam viderint: Econtra, quomodo ab aliis ſenſu ipſo conuictis & ratione ſtabilitis eiufdem Chymia præclariffimi effectus appetantur, quantoque animi ardore per ſas & neſas, etiam neruos venena & mortes quorundam deſiderentur, præbatione non eget: Illorum errorum cauſa eſt, quia Chymia, velut noctua, in tenebris degit, nec illis, utpote indignis, ſe videndam expoſuit: Horum, cum agnita ſi ſemel, ne inueniatur amplius, conſpectum effugit: Cum enim tantus Dei Theſaurus ab iis, quibus oblatuſ eſt, nulli proſtitui aut manifeſtari debeat, hinc authores ipſi quaſi Deo dicati, mundoque abrogati, Deo ſibi que viuentes rariffime agnoſci vni aut alteri, nunquam vero vulgo voluerunt.*

*Qua cauſa eſt, cur hunc tractatum de NOCTVA, et ſi lucifuga, tamen auium Regina, ediderim, vobisque inprimis dedicarim, qui hanc, nimirum Chymiam poſt Dei verbum præcioſiffimum omnibus*

*mnibus Mundi bonis preferendam non dubitatis: Sanitatis enim ut presentis conseruanda, sic amissa restauranda rationem exquisitissimam habet. Ad hac fieri non potest, quin ille, qui hoc Cæli DONO gaudeat, vitam & mores suos componat ad bene diuque uiendum, beateque moriendum, hoc est, quin totum se Deo dedat & ad sacram scripturam, veluti Normam vitæ, sese accommodet: qua cum in sacris BIBLIIS vnice contineatur, eorum lectioni diligentissima, meditationeque pia imprimis vacabit.*

*Præterea omnium rerum naturalium Theoriam & Praxin excogitis ante diædis perfectissime, necessum est, quod hauriat, tum quia INITIVM sapientiæ timor Domini, tum quia Lullio in pract. Testam. cap. 1. teste, Per scientiam talem Intellectus est expulsus superfluitatibus, quæ ipsum remouent à tota veritate, & alio modo (inquit) hac scientia nominatur vexillum & Instrumentum Philosophicum, per quod boni Philosophi & antiqui poetæ sensum ipsorum direxerunt ad quamlibet scientiam, ad intrandum per hoc in omnem experientiam, per artem fiendam secundum naturæ cursum per realem notitiam.*

*Ex quatuor igitur hisce, quæ inseparabiliter conuenire oportet, coniunctis exurgit PROFESSIO illa diuinarum humanarumque rerum, quæ iam quasi TVBA quadam prætororia per Germaniam haud dubia veritatis opinione, sub FRATERNITATIS nomine, insonuit: Hac cum iure suo, Noctua instar, ab auium rapacium & se instantium raptu, donec vesper aduenerit, occultetur; qui iam inclinante magni huius mundi die instet, ut illa per indicia haud aspernanda se manifestauit, sic ego illi merito hanc NOCTVAM, ut & aliis eiusdem Musæ procis, ignotis & notis, ascribo, dico & obfero, non pro magna subtilitatis (qua hic nulla est) opere, sed (ut in scriptio habet) PRO LOCO SEVERO.*

*Quo ipso nomine me Criticis illis Rhinocerotibus facilius excusatum iri, mihi quasi persuasum habeo: Iocari enim ut licet aliquando apud seueros, ita apud iocabundos seueritatem ostendere pro vitio duci nequit, nisi ab eo, qui ab omni humanitate abhorreat. Valete & me vestrum agnoscite. Dabam Francofurti ad Mœnum mense Septembri Anno 1616, transitu ex Anglia in Bohemiam.*





IOCVS SEVERVS,

*Hoc est*

TRIBUNAL Æ-

Q V V M,

Q V O

NOCTVA REGINA

A V I V M

*Phænice arbitro, &c. pronuntiatur.*



N sylvam quandam multis saxis conspicuam, vrticisque insignem forte fortuna conuenerant diuersarum specierum volucres, quæ cum in *Noctuam* incidissent, eam gregatim impetere, rostris, vnguibus, pectore, lædere, omnibusque modis, queis poterant, lacerare conatæ sunt: At illa, naturæ instinctu docta, quo minus iniuriis esset exposita, in globum se contrahens inimicis Martio resistit impetui, donec eodem loci

*Phænix*, auis Arabica, comitata *Accipitre*, aduolaret, qui cum tot & tantas volucrum manus minasq; vni derelictæ *Noctuæ* instare animaduertit, non passus est misellæ vim fieri, sed se arbitrum litis vltro statuit: Quod cum inprimis *Accipiter* ex naturali consensu *Noctuæ* amicus intellexisset, adhortatus est omnes, vt à vi manifesta abstererent, iudicioque se regi Phœnicis æquissimo sinerent: Consensum est in arbitri, tanto honore dignissimi sententiam, ab vtraque, tam Reæ, quam Accusantium parte: Vtque res legitima iudicij forma transi-

geretur, TRIBVNAL magnificum Phœnici iudicatuꝛo positum, & Noctuæ Accipiter aduocatus permissus est.

## I.

## C O R N I C I S Q V E -

## R E L A :

**S**VB nomine actoris ex vulgo imperiti, qui causas rerum non attendit, sed ex alterius præiudicio de Chemiâ, in qua ne tantillum expertus est, iudicat.

Argumentum eius est, Chemiam esse vanam & friuolam, odioque dignam censendam, quia sic iudicarent nostri maiores sapientia longe excellentissimi: Sunt autem cornices, (hoc est eiusmodi illiberales & impoliti censores) noctuæ in primis inimicæ, adeo ut sibi inuicem oua suffurentur: Inauspicatæ quoque sunt garrulitatis: Vnde Virgilius: *Sape sinistra caua prædixit ab ilice cornix*. Hinc primum sibi iure locum contra noctuam perorandi præripuit & vindicauit, quæ in hunc modum incepit:



*V AMVIS nulla meæ vigeat facundia linguæ,  
Iure tamen causa me puto, posse frui.  
Sim rudis ingenio, nec Palladis arte polita,  
Arbiter, hinc spes est, quod magis æquus eris.*

*Ergo fauore tuæ nitar bonitatis & vsu,  
Quæ mihi non fatuæ, simplicitatis, adest.*

*Lis antiqua hæret nobis ab origine prima,  
Anceps qua nostros exagitauit auos.*

*Odimus hinc vlulam, velut hanc odere parentes,  
Hoc satis in causa, cur odiosa mihi est.*

*Non notha sum, sed enim generosi seminis ouo  
Edita, cur patres non sequar inde meos?*

*His equidem canam poliit prudentia mentem,  
Ac rerum series longa, magistra fuit.*

*Sit mihi fas vitæ studiis & moribus illos,  
Quos natura dedit conditioque, sequi.*

*Non ego consiliis seniove parentibus æquor,  
Noctuæ ut his semper, sic inimica mihi est.*

Non satis sunt primo nobis hac semina belli,  
 Nec, modo sim sapiens, interimenda prius.  
 Accepi irarum, foueo quas fomite flammæ,  
 Dumque calor spirat corde, fouebo datas.  
 Hinc pereat nostris odiosa (heu) noctua pennis,  
 Pennis nuda velim viuere, si pereat:  
 Tollere de medio inuisos est optima iuris  
 Forma, licet non sit causa probata necis.  
 Cernimus antiquis exempla simillima seclis,  
 Mortales vsu quæ tenuere suo.  
 Siccine Aristides cecidit, sic plurima turba  
 Experta est Thetam morte sequente nigram?  
 Est satius duro solum quem funere mergi,  
 Quam multis odii sit data causa mali.

## I.

REPLICATA ACCIPITRIS PRO NOCTVA  
 Aduocati, contra querelam  
 Cornicis.

**R**EDDITA nunc fandi postquam mihi copia, mirum est,  
 Si potero, populi cinctus ab orbe, loqui.  
 Nam quis non stupeat, quem non fiducia fallat  
 Eloquii, cum te, Rex, videt inter aues?  
 Atticus orator, quin & Romanus in ipso  
 Principio vocem continuere suam.  
 Hunc etenim populi, sed eum Reuerentia Regis  
 Terruit: hac causa possem ego vtraque premi.  
 Ni formose tuus Phœnix me robore vultus  
 Firmaret potius, quam spoliaret ope:  
 Ni misera quaram defendere iura clientis,  
 Et non pro propriis fundere verba bonis.  
 Ille mea candor menti natiuus inhaesit,  
 Ut cupiam iustum reddere cuique suum.  
 Ergo velut plumis, sic corde nigerrima cornix  
 Nunc tua sunt dictis dicta plicanda meis:



Ingenio, ceu fassa refers, hebes esse videris,  
 Inuida Palladii artibus atque auibus.  
 Vix genus est volucrum te perniciosius aruis,  
 Semina dum vastas iacta recenter humo.  
 Sicque famem praestas mortalibus arte vorandi  
 Et cumulas diris funera mille dolis.  
 Quin & inhumatos illorum pascere artus,  
 Omnibus exque aqua conditione noces.  
 Hac tua simplicitas, qua niteris, hac tua virtus,  
 Illa venit factis gloria digna tuis.  
 Qui velit alterius conspergere crimine vitam,  
 Hunc vacuum culpa criminis esse decet.  
 Noctua labe caret, sed tu notoria clares,  
 Illa latet, dum tu das nocumenta, die.  
 Virtutem vitio, vitium virtute recenses,  
 Damna dedisse bonum, non nocuisse malum.  
 Discipe prius, quanto distet discrimine virtus  
 Nequitiae, primus sit gradus ille boni.  
 Deinde colas, quam nunc aliis auertere tentas  
 Iustitiam, iniustus iura odiosaputat.  
 Non satis est causa, quod lis antiqua parentum  
 Sit tua, per multas continuata vices.  
 Quam sit iusta, vide, non quam vetus ira, malorum  
 Vsum praescribit non tibi longa mora.  
 Tu praeviaque tui, s& facti iniuria fiat,  
 Digni estis odio, quo magis hanc premitis.  
 Peccandi nullam praerepta licentia legem  
 Ponit, at ut venia sit locus vsque, rogat.  
 Nil exempla iuvant ad cadem insontis iniqua,  
 Lege decet factis compare quemque frui.  
 Ergo tuam mutes, nec auorum imitabere mentem,  
 Nitere quo sapias serius aut citius.  
 Aut si iure velis rigido contendere & ipsos  
 Omnibus in factis conciliare patres:  
 Hi veniant, iraque sua, qua noctua pressa est,  
 Dent causam ac morem cum ratione probent.

*Nequeant, cessent, atque exercere nepotes  
 Dedoceant tantum mente sequace nefas.  
 Aut prestare vices absentum tu tibi sumas,  
 Antiquati odii dum documenta dabis.  
 Siue nec hoc, sileant patres, tuque ipse sileto,  
 Accusare vbi sat, vix ibi liber erit.*

## I.

PHOENICIS IVDICIS INTERLOCVTORIALIS  
 sententia pro Noctua contra Cornicem lata.

**N**ON odio sese associant, neque iura fauori  
 Alterius, causa est inspiciendarei.  
 Nil data verba iuuant, que replent aera bombo,  
 Corpora si luci dempseris, umbra perit.  
 Si nihil irarum furias, quam caca parentum  
 Consuetudo docet te sobolemque tuam:  
 Falleris & rationis eges, virtutis & aequi,  
 Si quod erit patrium, ne tibi sume, scelus.  
 Spes melius de te quid spondeat, inuida ne sis  
 Noctiuaga (summa est hac rata legis) aui.

**M**Ox abiit lento tristis Cornicula passu,  
 Iudicium, vulgi fabula, cuius erat.  
 Affiliit nouus hostis habens in vertice cristam,  
 Martium vt hinc Picum nomine reque ferant.  
 Ille sua varios iactans in veste colores,  
 Quam dubiam praestet, re docet, ore fidem.  
 In viridi venator adest animosus amictu,  
 Hastile illi ingens lingua inimica feris.  
 Vermiculos hoc ipse ferit venabulo acuto  
 Horrendos quam si fulmine sternat apros.

PICVS  
 Martius, &  
 iusque descri  
 ptio.

Sæpe nemus petit & crepitu quatit ardua rostri  
 Robora, quassa graui robore sylua tremie.  
 Non ligo, nec rastro defant, aciesve secutis,  
 Vngue premit, lingua conterit, ore secat.  
 Thyrsus, ipsi, gurgulio sunt illi tercula fastu  
 Luxifico, cerebrum quos putat esse Iouis.  
 Hæc vbi depictas potuisset in ordine plumas,  
 Bella animo spirans castide reclus ait:

## II.

P I C I M A R T I I Q V E -  
 R E L A:

**S**us nomine a crotis indocti & indilcreti, licet forte profapia, titulo & veste conipicui, magis de Marte, quam arte, de rastro, quam astris iudicantis.

Argumentum eius est, Chemiam esse vanam & fictiuam. in qua cum ipse quid tentauit, nec perficere potuerit in excubandis ouis Philosphicis, inde nec alium quemcunq; quid veri, nisi forte colores Sophisticos mox perituros, & furibus non indignos, inde sperare posse aut debere.

Est autem picus auicula aduncis vnguibus arbores excauans, facer Marti, vnde & Martius appellatur, inter auspiciatas aues numeratus.

## I.

**O** Magni Dux volucrum  
 Dixima Lux philosophum,  
 Manu grauique Marte  
 Contare prouipens, arte  
 Nec arte non politum,  
 Lingua nec expedimus.

## II.

Idcirco micis adpis,  
 Auremque terret dictis,  
 Nam spero me respelli  
 Aut posse reprobari,

*Curnoſtuam ſerire  
Velim, vel interire.*

## III.

*Non congeram vetuſtas  
Hinc à parente rixas,  
Nec imputabo noxam  
Huic, alteri peractam:  
Quod eſt recens, mouebo,  
Et teſtibus probabo.*

## IV.

*Vix annus eſt, in vno  
Quod oua quina nido  
Reconderim labore  
Fœtus ſagrans amore,  
Quæ cum diu fouerem,  
Nec inde quid pararem:*

## V.

*Conſiderare cauſam  
Subtilius putabam,  
Inuenta non ſed vlla,  
Vicina quam quod illa  
Volucris eſſet, ouis  
Noceret & venenis.*

## VI.

*Nam proxima ſedentem  
Sylua, vel aduolantem  
Vidi, ſat ergo cauſa,  
Cepi Strigem vocare  
Et ignibus nefandam  
Eius dicare vitam.*

## VII.

*Ad hæc mihi recurrit,  
Aeſtuque mentis vrit,  
Quod cum forent Draconis  
Morti dati venenis  
Fœtus, iis lapillo  
Vitale lumen addo.*



## VIII.

Hic est Pyropus orbis!

Qui millibus talentis  
 Venalis haud habetur,  
 Nec are comparatur,  
 Hunc dum repono nido  
 Ablatus est profundo.

## IX.

Si dicerem, quod illa  
 Furata tanta dona.  
 Sua recondat aluo,  
 Nec det videnda vulgo,  
 Fallax nec inuenires,  
 Meaque spe potirer.

## X.

Maetetur ergo luci  
 Inuisa, danda morti,  
 Ut gestiam lapillo  
 E corporis sepulchro  
 Surgente rursus, auras  
 Et incolente nostras.

**H**is finem imposuit dictis Picus, atque recessit,  
 Quem monet Accipiter, ne paret ante fugam:  
 Quam produxisset, veluti promiserat, illos,  
 Qui possent rebus facta probare suis.  
 Quos ubi praesentes non adspicit, inde refellit  
 Hoc, Picus dederat quæ maledicta, modo.

## II.

ACCIPITRIS REPLICATA CONTRA QUE-  
 relam Pici Martij.

## I.

**V**ENEFICAM vocasti  
 Furemque, nec probasti.

Ad terecurrit ergo,  
 A quo recessit Echo:  
 Talemque te salutat,  
 Et ocymo coronat.

## II.

Mortalium quis vrbes  
 Aut incolat cohortes,  
 Si perperam quid vlli  
 Contingeret nefandi,  
 Et vellet imputare  
 Id alteri maligne.

## III.

Communis anne sylvia  
 Nobis dat alta tecta,  
 Per aerem volatus  
 Quo libere rotamus,  
 Cur non per hunc abiret  
 Hac sola, vel rediret?

## IV.

Nil forsan excubasti,  
 Fœtus nec educasti,  
 Rogo, quid hoc ad illam,  
 Quam non vocas magistram?  
 Hac nouit oua vere  
 Aurata congelare.

## V.

Quod de petra locutus,  
 Non es sat affecutus,  
 An vlla gemma talis,  
 Tibi relata qualis,  
 Vidisse tene credam,  
 An perdidisse gemmam?

## VI.

Si sic, quid impudentem  
 Te cogit, innocentem  
 Mordere mentiendo  
 Nugasque congerendo.

In virginem pudicam,  
Eius terendo famam?

## VII.

Tentare cur volebas,  
Quod tute nesciebas,  
Cur tute perdidisti,  
Habere quod nequisti?  
Litem tibi moueto,  
Si nolis id, fileto.

## II.

PHOENICIS INTERLOCVTORIA SEN-  
tentia contra Picum Martium  
lata.

## I.

**M**Ox arbiter volucrum  
Infer: putasne tutum  
Id legibus videri,  
Aut quid tenere veri,  
Foro quod absque teste  
Pronunciatur à te?

## II.

Nil ergo firmitatis,  
Sed plus iniquitatis  
Causa tua dedisti  
Præ teque sat tulisti,  
Qui quicquid arbitratur,  
Profert, calumniatur.

## III.

Hac pernegat, quod instas  
Additque te malignas  
Rixas sibi ciere  
Et iurgis nocere:  
Quin res id ipsa monstrat,  
Quod causa te refellat.

## IV.

*Innoxia puella*

*Quæ damnata referre  
Impune cogitasti  
His tereum patraſti,  
Hinc temperans venenis  
Lingua, tacens abibis.*

**T**ALIBVS applauſum vulgo ſimul ore, manuque,  
E medio Picus dum pudibundus abit.  
Huius vt inſtauret cauſam litemque nouatam  
Vindicet, En miles cæde cruentus adest.  
Proditur ex curuo nam ſanguinis helluo roſtro,  
Qui Cuculum ſeſe terque quaterque vocat.  
Cantor vt eſt, ſtipulaque ſolet diſperdere carmen,  
Ingenij monſtrans Muſica dona ſui:  
Bellator pugnat ſic non minus acer in armis,  
Seque probat duro Marte vel arte parem.  
Olim vt Phyllirides cytharæ præfecit Achillem,  
Quit oties ſtrato victor ab hoſte fuit.  
Vere nouo cum iam reuireſcit frondibus arbor,  
Illum cantandi sæpe fatigat amor.  
Tempore ſed reliquo non vlla Mathematica profunt,  
Nec doſtrina, fames dum premit ora, iuuat.  
Venter enim caret aure, nec eſt niſi ſurdus amator  
Muſarum, in præda mens ei & in patina.  
Tunc eſt cura, togam mitesque reponere cantus,  
Armaque cum ſago grata parare nouo.  
Veſtis erat diſtincta coloribus, atque tegebat  
Lorica à ſummo vertice ad vſque pedes.  
Illius, vt fama eſt, ſub imagine forte, ſororem,  
Iunonem amplexus Iuppiter ipſe ſuam.  
Magnanimo poſtquam niſu concuſſerat alas,  
Arbitrum ante, iam proprie ſtetit.  
Inde ſuum repetens nomen CVCVLABAT eoſdem  
Exorſus decies dum dedit ore modos.

CVCVLVS,  
eiſq; deſcri-  
ptio.



## C V C V L I Q V E R E L A :

**S**V B nomine actoris , in mundo præoccupati negociis ad ventrem spectantibus , aut sensuum delicias , sine impoliti Politici.

Argumentum eius est, Chemiam hominem solitarium reddere & à conuersatione cum aliis reuocare , dum ei vacantes solis carbonibus comburendis sese oblectent , corpus laboribus & vigiliis , animum curis & meditationibus in subtilitatibus vanis & inanibus , macerantes: Vnde plerique Chemiæ valedicunt & profus contradicunt, vt ad solitas commestationes & comptationes liberius redeant, frontemque cum vulgo exporrigant.

Cuculus vero seu coccyx auis nota est, quæ nidulatur semper in nidis alienis, præsertim curruæ, quæ eius oua excludit & pullos nutrit, suos esse putans: Hinc Iuuenalis *sat. 6. Tu tibi nunc curruca places.* Est autem coccyx de genere accipitrum, licet ad uncas non habeat ungues, at solum rostrum: Proceedit vere, occultatur ortu caniculæ aut circiter solstitium æstiuum: Ideo alteri dicitur subiicere pullos, quod sciat se inuisam cunctis auibus, quarum oua frangat & exsorbeat, ac propterea non fore tutam generi suo stirpem opinatur, ni se fellerit. Noctuæ oua comesta eam vim habere traduntur (quod scire, ad sequentia intelligenda non inutile) vt abstemium reddant, atque ita quasi sapientiam & sobrietatem, vini sublato desiderio, ea comedenti instillent & inducant: Vnde forte Palladi, sapientiæ Deæ hæc auis sacra est habita: Noctuarum quoque Athenis magna olim fuit copia, vnde adagium: *Noctuas Athenas*, quas læsisse aut occidisse, capitale crimen erat: Habuit quoque Atheniensium numisma Noctuæ figuram sibi insculptam, vnde & nummi nomine noctuarum sunt vocati: Noctu videt, canit & volat, inde noctiuuda, noctiuaga à poetis dicta: de qua Nigidius apud Plinium testatur, quod 60. diebus hyemis cubet, & nouem voces habeat: Odiosa est cæteris auibus, in quas astuta vtitur dimicatione: Nam maiore circumdata multitudine, resupina pedibus repugnat, collectaque in arcum rostro & unguibus tota tegitur: Auxiliatur ei accipiter fœdere quodam naturæ, vt Plinius inquit: quæ semel admonuisse hoc loco sufficiant.

## I.

SVM Cuculus Cuculi Cuculo Cuculum satus parente  
Aui nepos & filium relinquo:

Est altum genus atque armis insigne stemma nobis,  
Carruca nutrix, non fuit genitrix.

## II.

Adsum, iusque meum repeto, litemque testor acri  
Quam corde voluens Noctua teterdi.

Illam meo queat horribili vel Marte vel manus vi,  
Si detur arma copia, interire:

## III.

At quia Iustitia, Phœnix bore, carceres reponis  
Metamque nostris fixeris duellis:

Omne tibi cedo ius ante TRIBUNAL æquitatis  
In noctuam quodcumque possidebo.

## IV.

Ipsa mea vita insidias non eminus nefandas  
Struxit, veneno pcne me necando:

Namque (fatebor enim) cum sit mihi mos auitus, ovis  
Vesci volucrum, vox ut hinc sit alta,

## V.

Illius ad nidum accessi, pro iure, tunc vagantis  
Extra penates, ova quo vorarem:

Nec mora, quotquot erant, sorbendo leni recondo ricu,  
Sed inde vocem dum peto sonoram,

## VI.

Est extinctus amor, desideriumque perbibendi  
Tam dulce nectar, mente quod refuto:

Palladas animo caras iam voluo, amando Musas  
Phœbique castra fascino ligatus:

## VII.

Malo sed obtusa conuiuere mentis imperitis,  
Quam solus omnes inter esse prudens:

Dulcis amor potius redeat modo, sim rudis, Minerua  
In me nec vllum ius habeto tristis.

## VIII.

Stultitia affectus latissimus est mihi per orbem,  
 Quod te docebunt Porcii atque Grilli.  
 Oua merum praestant & vires carmini ministrant,  
 Vox rauca nobis obuenit sine ouis.

## IX.

Ergo venenoso plectatur noctua incubatu  
 Ne possit villos fascinare posthac.  
 Lex apud humanas (locus est mihi notus) illa gentes:  
 Laudatur, vt si publicus vagetur

## X.

Rumor strigem aliquam fore, carcerata flammis.  
 Tradatur, & post vota consulantur,  
 Vt cineres cum iam rediit, num morte digniori:  
 Extincta sit, vel forte labis expers.

## XI.

Hoc erit exempli vice, nam mortalibus satemur  
 Non nos volucres esse iustiores.  
 Trade neci strigem, iudex excelsae, da cremandam;  
 Sat fama monstrat criminis piandi.

## XII.

Postea, si sit opus, factum tibi clarius probabo,  
 Quam sol relucet vertice elcuiatus:  
 Cumque his plura simul super addere vellet, ipse Iudex.  
 Mandauit, hora sponte non abuti.

## III.

## ACCIPETRIS REPLICA CONTRA QUERIMONIAM Cuculi.

## I.

**H**AEC contra Accipiter: quin ò tenete risum  
 Quotquot volucres circus hic capescit:  
 Sat Cuculus dixit, si sat bene, si nec hoc, nec illud,  
 Nam raris aqua dicitur at sophista:

## II.

*Est in ponderibus causa, non copia loquendi,  
 Spectanda iusti vis, tenorque recti,  
 Insidias vlula struxisti tute, ceu fateris,  
 Pradonis instar dum lares & oua*

## III.

*Illius accesti, tuaque intra viscera abdidisti  
 Tam dulce pignus noctua, gregis spem:  
 Tute igitur latro, liguritor & bellulo videris,  
 Cui suauē quadra non tua, sed instar*

## IV.

*Muris vel parasiti, aliena, ganeo, nutriri:  
 Dicenda non est dos parata furto:  
 Si sapias, hac mentem potatio reddidit politam,  
 Meri nocentis nauseam creando:*

## V.

*Gratia, quam reddis pro furto, non tibi, nec illi  
 Est grata, fures illa mens perennat:  
 Vt cupiant vita dominum tetra perire morte.  
 Qua liberati sunt, genus scelestum:*

## VI.

*Carneades acuit quodam nasturtio cerebrum  
 Ne vinceretur plumbeus Chrysippo:  
 Ellebori campis alii pascantur, vt sagaces  
 Queant haberi, nec vorare maluas:*

## VII.

*Stultitia donum tu percupis, ô Mida sodalis,  
 Non cernis aures eminus patentes:  
 Si tu vlulam accusas, quod sis mutatus eius ouis,  
 Huic oua reddas, reddet & tibi te:*

## VIII.

*Et tu semper eris, qualem te, stulte, somniabis,  
 Prior teget te forma grunnientem:*



PHOENICIS SENTENTIA INTERLOCUTORIA CONTRA CUCULUM.

## I.

**E**LOQUAR, an silcam? dubius mihi, non adest cupido,  
 Nec iam facultas omnibus referre  
 Responsum gerris, maneat sententia ante dicta,  
 Probanda causa est, non calumniandum.

## II.

Es potius culpa, quam commiseratione, dignus,  
 Cocyx volucrum pestis & venenum:  
 Quot perimis victu tu pullos, ova mox futura?  
 Vivos quot atra caede tu trucidas?

## III.

Nutrici, an matri, dicam, quod primum rependis?  
 Ingrate prada est hac tibi nefanda:  
 Pradonem lex aequa sinit mactare, siue furem,  
 Si pugnet armis, ledat aut venenis:

## IV.

Quod si igitur fatis te occumbere contigisset atris,  
 Cum deuorares oua noctuina,  
 Non queat hunc quisquam accusare, veneficamve iure  
 Dictare, quid nunc posse te putabis?

## V.

Qui non virus atrox ouis, sed pharmaci medelam  
 Latro bibisti, dignior cicuta:  
 Ne crimen reueratur, abi, ne morte praoccuperis.  
 Inferre noli funus innocenti.

Philomela  
 descriptio.

**T**ERGA dedit dictis coccyx ubi talibus, astans  
 Concinnum extemplo dat Philomela melosa:  
 Nempe dato voluit signum monstrare magistram  
 Harmoniae quartum se retinere locum:

Et sane:

Et sane artificis si sit modulatio cantus  
 Spectanda inter aues posset adesse prior.  
 Verum hæc iudiciis non dignoscuntur apertis,  
 Regnat ubi studiis turba inimica bonis.  
 Multa canens grata quo Iudicis arte fauorem  
 Occupet, innumeris perstrepat ore sonis:  
 Nunc altam modulata, in am nunc murmure vocem  
 Edit, ut haud æquent Organa hydraulæ modos.  
 UT RESONET MIRO FACILIS SOLUIT LABRA CANTU?  
 Vox abit ad cælos & nemus omne replet.  
 Adstant mirantes aliæ tam grata iuuentæ  
 Munera, quæ cupida quælibet aure bibunt.  
 Præcinuit pueris Ganymedis in æra raptum,  
 Iupiter in propriam quem tulit actus auem.  
 Nedum oblita sui casus, linguæque resectæ,  
 Virginitas, Terei quo spoliata dolo:  
 Addidit his alias veterum de more fabellas.  
 Aureolas, tempus quas numerare vetat.  
 Tandem propositis voces accommodat aptas  
 Rebus & est Ionicis, UT, FA, SOL, orla modis..

## IV.

## P H I L O M E L Æ Q V E R E L A :

**S** V B persona actoris non indocti, poetæ vel Musici:  
 Argumentum eius est, Chymiam esse fabulosam fabulisque  
 repletam, falsoque sibi poetarum fabulas, quasi de rebus Chymicis  
 abditis, nec de moribus aut aliis rebus effectæ esse, ut proprias accom-  
 modare: quemadmodum Natalis in tabularum mythologica explica-  
 tione aperte fateretur sub Saturno, Iunone & aliis locis, falso ascribi  
 fabulas Chymicæ: Cuius verba sub Vulcano sunt huiusmodi: *Nec me  
 præterit, illorum, qui torquendis metallis per ignem student, esse opiniones non-  
 nullas, quas suis vasculis accommodare conantur: Neque enim credibile est me-  
 tallorum formas posse per artem inter se conuerti:* Hæc ille: Philomela seu  
 Luscinia ex mira vocis suauitate agnoscitur, quæ à Græcis Philome-  
 la dicitur quod amet melos: Verno tempore fiordescentibus arbo-

rum ramis dies non saltem 15. vt alij volunt , sed 50. continuos persistit in cantu : Vnica hæcauis paruo corpusculo paruulisque faucibus varios emittit concentus & diuersa cantica , vt nulli mulici suis cantilenis , nulli Organistæ aut Instrumentales , vllis organorum variationibus aut tiliarum modulis imitari queant : Plinius in huius auiculæ descriptione ingenium exercuit , qui legendus : Æstu aucto , aliam habet vocem non modulatam aut variam : mutatur & color : hyeme non cernitur aut non agnoscitur.

## I.

**O** Decus nostri Generis Propago,  
 Ales Aegypti celebrande terris,  
 Si uete nidus tulerit ue furnus ,  
 Optime Phœnix :

## II.

Huc ades , dictis animumque præsens  
 Verte, res duras propiusque nostras  
 Cerne, sic carmen tibi sempiterna  
 Laude dicabo.

## III.

Carmen est cura mihi, Sol olympo  
 Siue descendens radiis serenet  
 Aerem, seu nox tegat atra syluas ,  
 Carmina canto.

## IV.

Arbores cum iam virides amictus  
 Et comas vernas, hyeme abdicata,  
 Induunt, ramis ego semper hærens  
 Iubila tollo.

## V.

Per nemus latis sono cantilenis,  
 Et per umbrosas cano sera valles,  
 Quinquies denis vagor ac dies cum  
 Noctibus aquo.

## VI.

Tempus id charis datur omne Musis,  
 Quo frui somnis nequeo, nec vlla  
 Parte momenti dare me quieti,

Tantum amor urget

## VII.

Carminis, nec spe vacua relinquer,  
 Incubans ouis, ea cura mentem  
 Erigit, fœtusque dat educandos

Pignora nidi.

## VIII.

Hisc natalis vbi canto versus,  
 Voce per gyros varios eundo,  
 Obstrepit nostris modulibus amaro

Noctua bombo:

## IX.

Artis est experta ea Musicalis,  
 Nam nec Octavam Diatessarcive,  
 Nec rudis Quintam. Ditonumve nouit

Reddere voce.

## X.

Dissonans Carmen mihi saepe torquet.  
 Semiquinta vel quod adhuc ab omni  
 Discrepat sensu, rationis ac vi,

Septima iniqua:

## XI.

Sic meos cantus vlulando rumpit,  
 Et sibi totum nemus atque valles  
 Vendicat tetrus odiosa, va, va,

Vocibus, Eheu.

## XII.

Tristis has odas iterat, fremitque  
 Sapius stridens miseris susurris,  
 Stentorem dicas, ita reddit alta

Voce boatus:

## XIII.

Hinc mihi pectus tumet, inde bellum.



Noctua doctis datur à poetis,  
Et quibus Musa est generosioris

Inclytus ardor.

## XIV.

Illa concentus spoliare nostros,  
Naniisque agris solet implicare,  
Inde secreti sibi furis instar

Pramia captes.

## XV.

Aut velut labro, quia latret ipsa  
Omnibus sylvis, hominum quietis  
Et volucrum pacis vt hostis aquas

Det rea pœnas.

## XVI.

**N**ON tulit vltcrius cantantem tanta cruento  
Accipiter versu funera Lusciniam.  
At medio in cursu sic carminis interrupt:

## IV.

## ACCIPITRIS REPLICA CONTRA PHILOMELAM.

**P**LVS satis est dictum nunc tibi, summa patet:  
Molis es haud magna, sed magna fœmina vocis,  
Sape sub imbelli corpore bella latent:  
Non hac verba tuum decorant asperrima sexum,  
Haud tibi, militibus sanguine surgit honos.  
Ne tamen à dictis nimium discedere cogar,  
Ipse tuo fingam carmen inerme pede.

## I.

**M**VSICAE quod te teneat perennem  
Cura, quod dulces moduleris hymnos

Noctibus longis iteransque luce,  
Cedimus ultro.

## II.

At quod in solis Philomela syluis  
Erret & cunctas auis vna valles  
Temperet, cantus veluti magistra  
Vsq̄ue negamus.

## III.

Tu canis scite, fateor, sed altam  
Gutturis vocem tenuis reuoluens,  
Consonum reddisq̄ue melos, & arte ex-  
cellis acuta:

## IV.

Noctua sed vis grauior canendo,  
Quam Basin docti vocitant, habetur,  
Illa vox cantus prior hinc necesse est  
Te moderari.

## V.

Huic ad nutum metra, septimanque  
Ac tonos turpes reliquos cauere:  
Iude nascetur bona consonansque  
Musica triplex.

## VI.

Si tibi cordi modus est ouantum  
Dorius nec non Ionicus cachinnus  
Tristior cura Lydiusque fletus  
Conuenit ipsi:

## VII.

Si tibi Democritus vsque ridet,  
Huic flet Heracletus, at vna causa,  
Nempe tot casus hominumque cura,  
Com mouet ambos.

## VIII.

Vnus affectus, similis nec ardor.  
Fratribus raro remanet duobus,  
Ille venandi studio, sed alter  
Carminis instat.

## IX.

Ergo non litis superesse tanta  
 Fomitern cerno, Philomela cantet,  
 Ut potest, altum modulans, & inum  
 Noctua canter.

## X.

Aut vices vertant simul, hæc canorem  
 Illius sumat, sibi sumat huius,  
 Ipsa seu manult, Basin atque murmur,  
 Sive Tenorem.

## XI.

Sicque cessabit penitus duellum  
 Musicos inter lepidosque vates,  
 Cura mordebit, Philomela, nec te,  
 Noctua nec te.

## IV.

PHOENICIS SENTENTIA ADVER-  
 sus Philomelam.

## I.

L'is Poetarum nisi de sonoris  
 Cantibus non est, vel vter suavi  
 Carminis plectro magis vsus aquas  
 Mulserit aures.

## II.

Hæc vbi vestras stimulauit iras,  
 Versuum leni modulo videtur,  
 Iuris haud nutu, bene mitiganda,  
 O Philomela.

## III.

Non decent tanti volucrem furores  
 Ut velit propter metricas loquelas  
 Labis in fontem rapida sororem  
 Morte perire.

## IV.

*Voce concordēs vt adesse debent  
Musici, sic sint quoque corde, non est .  
Dissonans vllus tonus ac in ipso  
Stamine vita.*

## V.

*Hinc tuas, dico, furias recantes,  
Pace nec bellum tibi prauale  
Iure permittas, nec habet querela  
Causa colorem.*

**C**ONTICVERE omnes, voluit succedere Progne  
Lusciniæ tanquam sanguine iuncta soror.  
At vetuit prægrandis auis, melioribus ouis  
Edita, quæ summum præripit alta gradum.  
Illius illustres ortus agnoscere posses  
Corporis ex vultu pulchricomoque statu.  
Vertice procero vt turbæ supereminet omni  
Sic est in mores ingeniosa suos.  
Purpuream gerit inde notam: Diadematis instar,  
Temporibus canis condecorata comis.  
Ordinis obseruans, acieque asperrima belli,  
Pygmæos rostri vulnerat ense breues.  
Strimoniam dixere Gruem, quia ducet apricum  
In cāpum, aligerosque excubet ante greges.  
Hæc subito in cumulum, vt sese ceruice videndam  
Præberet longa, turris vt alta, venit.  
Vtque suas artes, strictasque ad prælia leges  
Ostentaret in vno pede firma stetit,  
Vngue tenens lapidem curuo, ceu peruigil hasta,  
Duraque militiæ sic documenta dedit.  
Ingentes animo gestuque exercuit iras,  
Quæ mox hos rabido protulit ore sonos:

*Gruis de-  
scriptio.*



## G R V I S Q V E R I M O N I A ,

**S** V B nomine actoris, viri nobilis, politici, non ineruditi;  
 Argumentum: Chemia est friuola & ex bene constituta Repub.  
 releganda; quia seducit magnates inque discrimen adducit suarum  
 facultatum:

Est autem Gruis hæc mirabilis natura: Æstate aduenientes tran-  
 nant æthera trianguli figura: Lapidibus pedibus librant, tanquam sa-  
 burrà, contra vim ventorum: Gerunt bellum cum Pygmæis: Ducem,  
 quem sequantur, eligunt, habentque in extremo agmine dispositos,  
 qui vicissim acclament, ne qua deesse videatur, ac gregem voce con-  
 tineant: Ex his nonnullæ excubias agunt nocturnas, lapillum pede  
 sustinentes, qui lassatis somno decidens indiligentiam sono coargu-  
 at; Cæteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus  
 insistentes: Per sublime silentio volantes, serenitatem, festinantes  
 vero tempestatem, præfagiunt: Dicuntur Palamedis aues: quoniam  
 Palamedes Nauplij filius ex earum ordine tres literas reperisse fertur,  
 inter quas Ypsilon, quæ & Pythagoræ dicitur: Lucanus, cur Stry-  
 moniæ vocentur, innuit, *lib. 5. his versibus:*

*Strymona sic gelidum bruma  
 Pellente relinquunt,  
 Potura te Nile Grues, &c.*

## I.

**P** VGNARE Iambis non mihi mos, at manum  
 Conferre præsens hoste cum atrocissimo  
 Nunquam abnuï, nec in foro, sed Martis  
 Campis placet micare, vbi ius spiculo  
 Non quaritur lingua volubilis sono.

## II.

*Nam nostra gens inuicta fortitudine est,  
 Non eloquens, nec clara verbis, notior  
 Factis, regendi, quam sequendi munere  
 Felicior: sed hoc mihi nil detrahet,  
 Si Rhetor hic compaream, te Indice.*

## III.

Hoc vnicum sat ponderis rei daret,  
 Quod ipsa litem noctue & dicam fero,  
 Nam magna magnas ausa conderent aues:  
 Ales Iouis non stringit arma bombyci,  
 Leoque rana despicit conuitium.

## IV.

At noxa Noctue mihi tantum mali  
 Influxit, vt sit morte vita durior,  
 Vindicta si non ius suum rigoribus  
 Summis sequatur, haud ciuilitate ream,  
 Sed criminaliter probabo iudici.

## V.

Non est diu, quod militari in ordine  
 Terris remotis nostra gens huc verteret,  
 Vt assolet, cursum quotannis, & mihi  
 Vt excubarem, cura noctibus foret,  
 Quod gnauiter, tenens lapillum, dum gero:

## VI.

En omnibus somno sepultis fratribus,  
 Ipsaque me, clamoribus frequentibus,  
 Emissa vt orco Erynnis atra, noctua  
 Bacchatur, horrendo metu nos territans:  
 Hinc prima iacto signa misi pondere.

## VII.

Mox corripit cunctas pauor facto agmine,  
 Nec causa scitur vlla, nil tutum satis  
 Putamus, errantes sic Euris horridus  
 Densus tenebris in mare amplum compulit,  
 Vix vnde magno exiuimus periculo.

## VIII.

Post cum dies adesset, omnes irruunt  
 In me, veluti tanti caput discriminis,  
 Vt morte multarent, sed illis obtuli,  
 Me noctua, qua damnata fecerat suo  
 Clamore, linguam fauce velle deuere.

## IX.

*Hac impetraui lege vitam supplicans:  
Nunc ergo iure vel manu cadat mea  
Inuisa strix Erisque, que necem ferit  
Armatque fratres in suum letho genus,  
Hac improbari vix potest sententia.*

*Accipiteris tu  
tela noctua  
saluatur.*

**D**I X E R A T, & stricto miseram mucrone pe iuit,  
Cui fieri noxam non tulit Accipiter:  
Vnguibus is præuisa tenacibus acer inharens  
Tela retorquendo congerit hæcce minas:  
Si locus hic pugnae, haud Themidi vacat, impiger adsum,  
Ius vlulæ proprium sit mihi, bella dabo:  
Confere, quaeso, manus mecum, non me vlla susurris,  
Ut te, forte suis obstupescit auis.  
Concurrunt volucres & tanti femina belli  
Extinguunt, Iudex quemque silere iubet.  
Promittitque suo se singula pondera rerum  
Iudicio, summa voluere velle fide:  
Iuratum est vtrinque, redit concordia circo,  
Tum Phœnix placidos hos dedit ore modos.

## V.

PHOENICIS IUDICIALIS RESPONSIO  
contra Gruem.

## I.

**C**OLLO vales & tibiis, Grus inclyta,  
Audace menteque vt vales & corpore,  
Sic alta sectaris, nec est quid arduum  
Quod non ames subire cum periculis,  
Hinc bellicus dux iure iusto diceris.

## II.

*Si noctuam spectes, nec audet illa se tibi*

*Praferre, sed vix comparare, vilior  
 Quae uiuat vmbrosis locis ne conspici  
 Possit volucris nobili, sed non puto  
 Quod omne ius illi queat negarier.*

## III.

*Ergo fruatur ipsa, sicut & grues  
 Suis bonis, suo volatu, vocibus,  
 Hinc non nocere cantu quoque noctua  
 Est visa vestro cœtui, si tu tuo  
 Persunctus esses, vt decet te, munere.*

## IV.

*Nam si sopor non occupasset interim  
 Temet gregis ducem, fuisses & vigil,  
 Non credo, quod ob noctua cantus, metu  
 Sic concidisses, nec petram delabier  
 Tum contigisset vltro, sic causam vides.*

## V.

*En somnus ille cernitur tuus mali  
 Tanti caput, non illa, quae somnum fugans  
 Te reddidit, cui dux vacabas, mûneri:  
 Huic gratiam debebis ergo, non necem,  
 Cum te tuosque perdidisset proditor.*

## VI.

*Expergescit illa te, fratres tuos  
 Tu mole iacta, pectus occupat pauor  
 Simul volucrum, tu timoris huius es  
 Praecentor: at quod Euris obruit mari,  
 Non accidisset, si vigil dux sederas.*

## VII.

*Tu gratiam mundi refers iam noctua,  
 Quod illa te sopore liberauerit,  
 Quam vir cani quondam fideli contulit,  
 Qui morsibus draconem triuit horridum,  
 Cunis iacenti pusioni vt parceret.*

## VIII.

*Romana gens sed anseri plus gratia  
 Dicauit olim gingrienti, mœnia*



*Cum gallus hostis obtineret, huic cibos  
Nepotibusque eius sacrando perpetim,  
Hanc non minorem conferes huic gratiam:*

**H**Æc anceps est visa diu sententia vulgo,  
Pro nece quod gratum noctua ferret opus.  
Verum tanta fuit miris facundia dictis  
Iudicis, vt quis non hiscere posset hilum:  
Ergo abiit pedibus lentis auis ore minax Grus  
Cuius inuit Progne, huic vsque morata, locum.  
Nigra quidem, sed pulchra fuit, pexisque capillis  
Fœmina prælonga conspicienda toga.  
*Hirundinis  
de criptio.* Bombycinis veluti manicis leuis vtitur alis,  
Purpurei maculas palla cruoris habet.  
Syma trahit testudineo prænobile passu,  
Illius omnis Itym vox sonat, omnis Itym:  
Omnis Itym querulis lux illam sæpe vocantem  
Audit carminibus, nox velat omnis, Itym:  
Prima domus docuit laquearia figere tignis  
Mortales & quod sint linienda luto.  
Rhetoricen Progne, veluti Philomela Poesin  
Exprimit antiquis, sed magis illa loquax:  
Sitque loquax, tamen est tolerabilis indole morum,  
Coniugij castam scit retinere fidem.  
Oeconomæ exemplar, congestis educat escis  
Fœtus gnaua suos dum volat & reuolat.  
Vix vnquam lassata laboribus irrequietis,  
Hæc ait: —————

## VI.

## HIRVNDINIS QVERELA.

**S**VB nomine actoris ex vulgo indocti, iudicio carentis & leuitate  
animi præualentis:

Argumen-

Argumentum cuius est, Chemiam esse odio habendã & falsariam: quia vigiliis exhaurit hominum corpora, & promittit lapidem, quem tamen subtrahit falsis vel difficilimis intellectu processib. aut libris, nec non Medicinam vniuersalem, quasi chelidonium, quam similiter abscondit.

Hirundines sunt auiculæ loquacissimæ & garrulæ, quæ præter naturam cæterarum auium auersæ cœunt: Constructos luto nidos stramento roborant: Inopia luti puluerem aqua pennis madefactum spargunt: Nidum mollibus floccis & culmis consternunt. Quinque numero pariunt, quos magna nutriunt æquitate: Nam portionem singulis alternant & distribuunt, habita ætatis ratione? Incipiunt enim à primo sensim ex ordine continuantes ad minimum natu: Si viderint pullos suos non sat molliter iacere, lanam ab ouium dorso exeruat & iacentibus substernunt: Quin etiam exæcatis herba quadam ab ipsis Chelidonia dicta & inuenta visum restituunt, erutis etiam, vt narrant, oculis: Pullorum excrementa magna munditia egerunt: Bis anno pariunt, vere & autumnno: Ex volucris indociles sunt hirundines, vnde prouerbiū: *indocior hirundine*, aut *mure*, qui ex terrestribus indocilis est: Quidam, vt & Volaterranus, hirundine vsi sunt pro nuncia belli, qui eam mittebant amicis, in nidum pristinum redire solitam cum literis anæxis: Alij, vt Rex Daniæ & Sueciæ, ad incendendas obsefforum ædes, captas hirundines alligatis incensis funiculis dimiserunt, quo strategemate victores euaserunt. Hybernis mensibus discedunt hirundines, latentque vel sub aquis, quasi mortuæ, vel aliis latibulis, & oriuntur ante delphini ortum, seu primo vere, cuius sunt nunciæ: Pythagoræ dicitur est, *hirundinem sub tectum ne recipias*, hoc est garrulo non conuiuendum esse.

— — — Inter aues fert & hirundo locum:

Cessi, vt amica grui, sed sic vt cedere nolim

Causæ, qua nemo me superare potest:

Règia sum Progne, quamuis non coniuge sælix,

Si mihi dat verum fabula prisca genus.

Ast elegis alias opus est, emergere vulgo

Quo potero, vndenos nunc ego sumo pedes.

## I.

**N**ON vna est species mihi querenti  
 NO Phœnix generose dux volucrum,  
 Sed triplex venit indicanda litis  
 Nostra causa, rogo, benignus adsis.

## II.

Est in more situm, velut docet res,  
 Nobis .n domuum cauis caminis  
 Aut tectis hominum parare nidos,  
 Et suspendere proprios penates:

## III.

Vt bis quolibet educemus anno  
 Pullos, tanta vigens hirundinum spes:  
 Et desiderium manet futura  
 Gentis ac lepidorum amor nepotum.

## IV.

Sic ouis vbi nuper incubassem  
 Et fœtus mihi diligente cura  
 Nutrissem, variis modis molestat  
 Illos noctua, maceratque pennis.

## V.

Nam vicina cauis adest tenebris  
 Horrendum ingeminans quater boatum:  
 Sape terque iterat fremente voce,  
 Natos vnde quies relinquit agros.

## VI.

Succus defuit, ah, gregi misello  
 Artusque occupat inde lenta tabes:  
 Tantum noctua dat mali, sed audi  
 Ultra quid mihi contigit querenti.

## VII.

Autumno hoc ineunte, cum secunda  
 Nutricatio prolis est, lapillum  
 Flauentis dederam coloris vni  
 Ex pullis preciosiore amato.

1. Pars que  
 vela.

2. Pars que  
 vela.

## VIII.

Hic virtutis erat potentioris,  
 Vt morbos hominum maligniores  
 Pellat corpore, detque sanitatem,  
 Viresque innumeras habens medendi.

## IX.

Nam quid venter hirundinis recondat  
 Scriptorum tibi plurimi recensent,  
 Et non temporis huius est locive  
 Reuelare, dies docebit ipsa.

## X.

Hunc ergo lapidem, velut paratum  
 Thesaurum bene possidens tegebam,  
 Verum perditus est meo dolore  
 Sic in delitiis repostus ille.

## XI.

Eheu, quam preciosa gemma nobis  
 Est amissa, quid ergo non putemus  
 Vicinam mihi noctuam abstulisse,  
 Cum nemo adfuerit domo, nisi illa?

## XII.

Tertium facinus recordor & nunc,  
 Herbam quod Chelidonium vocatam,  
 Qua visus aciem reduco pullis  
 Cæcis stercore, sola sustulit fur.

## XIII.

Hic terna modus est mea querela,  
 Quam, Iudex bone, spes clientum, & vnus  
 Quo tendat miseranda turba, Asylum,  
 Imis sensibus intime reuoluas.

## XIV.

Ad primam, rogo ter quaterque, noxam  
 Vt pellatur ab Vrbe, sicut exul,  
 Ac deserta locis fremat remotis,  
 Si vita modo digna sit fruisçi.

3. Pars que  
 vela.



## XV.

*Alterum sed enim valoris huius  
Est damnum, vt superesse non potestit  
Viuis, at hereaque luci vesci,  
His causis scelus adde tertiatum.*

## XVI.

*Ergo mortis erit trucis reatu  
Non indigna, licet prior nec esset,  
Quod toti nocet illa Ciuitati,  
Sic inuisa homini, velut volucris.*

**I** AMQVE iterum consultus adest in iure Clienti  
Accipiter, dictis dicta deditque datis.

## VI.

**ACCIPITRIS REPLICA, ADVOCATI PRO  
Noctua contra Hirundi-  
nem.**

**Q**UID veteres, inquit, renouas odiosa querelas,  
In fontem nugis cur inimica premis?  
Tu liceat tectis tentes supponere nidum,  
Non tamen hinc quicquam iuris in vrbe tenes,  
Tu laceras aures hominum, damnosa quieti,  
Excacaque oculos, testis erit Tobias.  
Tu saepe incendis celsis cum turribus ades,  
Orbe sub Arctoo rex mihi testis adest.  
Proditor hinc audis, hinc exitiosa venenis,  
Hinc tibi Pythagoras non dat in vrbe locum.  
Ergo tua, alterius ne demas, assere iura,  
Inuidia est, que te non sinit esse probam.  
Sis memor irarum furis percussus & astu,  
Quod responsa grui nulla dedisset, ait:

*At nunc aqua tuo deducam carmina filo,  
Hic tibi praecursor sermo fit, atque refert:*

## I.

**P** R I M A E nullus adest color querela,  
Quod noctu soboli quies negetur  
Noctua gemitu, nocens gemendo  
Vix quisquam reperitur, absque probris.

## II.

Vt tu luce volas, ita hac in vmbribus,  
Tu trufas, neque vox quiescit vnquam,  
Parcius tamen illa cantat, Eheu,  
Hac noctu fileat, die file tu.

## III.

Nec calumnia quid probat secunda:  
Si tanti precij fuit lapillus  
Pullorum stomachis, ibi requires  
Intestina modo notes aruspex.

## IV.

Si fas est tibi sic imaginari,  
Pulli non lapidem tenent, tenebit  
Ergo noctua, sic retorqueo astum,  
Petram hac non habet, ergo tute habebis.

## V.

Hoc antistrephon ecce iudicabit,  
Quod nec tertia lis sit aqua furti:  
Si crescit chedionium per agros,  
Cur stulte tibi proprium dicabis?

## VI.

Aut si sit generosioris ortus  
Et ceu calica dona dicta, radix,  
Non hac sepibus omnibus virescit,  
Hortis florida sed rubet sophorum.

## VII.

Ergo nil superest, nisi vt recedas.

Et posthac reprimas dicacitatem:  
 Nam si dicere cuique, quod lubet te,  
 Vis, quæ non lubet, audies ab illo.

## VI.

PHOENICIS SENTENTIA ADVER-  
 sus hirundinem interloquendo  
 lata.

## I.

**H**ÆC, Iudex ait, ante iudicata  
 Lis est, nominibus licet sit impar,  
 Cum sententia talibus querelis,  
 Hisque à me simili rei dabatur.

## II.

Non solis medicis, Platone teste,  
 Est Respublica ciuitasve firma.  
 Nam sunt munia multa, non hirundo,  
 Sed & noctua querit Vrbe victum.

## III.

Hæc mures capit arte, at illa muscas:  
 Si spectemus, homo inde plus habebit  
 Commodi, minus hinc: quod ad lapillum,  
 Herbamque attinet, hoc calumniaris.

## IV.

Nam præsumitur omnis esse non fur,  
 Ni monstretur & esse comprobetur,  
 Quod nondum, nisi perperam dedisti  
 Effectum, meliore mente præstes.

**I**NDE nouans iras & acerbam pectore litem  
 Ardea præ reliquis conspicienda venit.  
 Nomine quæ dicta est ita, summas ardua nubes  
 Ardeat excelsò quod superare pede.

*Descriptio  
 ardeæ.*

## VII.

## ARDEÆ QVERELA.

**S**VB nomine actoris negotiis aliis ad victum spectantibus præoccupati:

Argumentum eius est, Chemiam omnes, qui illi impendunt operam, pauperes reddere, ostensa spe quasi aureorum montium aut immensarum opum, quæ tamen sit umbra leuior & inanior: Ideoq; Chemiam fugiendam fore & penitus pessumdandam.

Est autem ardea auis magna ita dicta, quod in sublimi volet, unde à Falcone deiicitur in terram, cuius alas excremento emisso inuiscat: Ad vada stagnorum & fluminum, cum natare nequeat, (quia palmipedes non habeat) pisculos captat. Lucanus lib. 5.

— Quoque ausa volare  
Ardea sublimis penna confisa natanti.

Mirum est, quod aiunt, pisces illius annatare pedibus, quasi horum dulcedine aut magnetica vi attractos, quos deuoret.

**A**RBITER, illa inquit, non longa exordia ducam,  
Noctua sæpe mihi fraude nociua fuit,  
Obruor innumeris, quas nunc proferre, querelis,  
Nec locus hic patitur, nec breuis hora finit.  
Sed lubet hic vnum saltem depromere casum,  
Affecit quo me bellua tanta dolo.

## I.

**A**NNVA nunc peregit  
Signa Phæbus, si memini, forte quod ante ripas  
Expatiabar vndis,  
Et dabam gratis operam piscibus ingerendis.

## II.

Tum mihi magna pensæ est  
Præda rostro, dira fames viscera cum teneret,  
Lubrica, credo, tinca  
Flexuosa anguilla ve erat, quam subito vorare



## III.

*Dum volui, videbam  
Plena postquam luna micabat radiis per vndas  
Virginis instar ora  
Hinc amor forma subiit, mox vbitam decora*

## IV.

*Oscula ferre nitor  
Nullibi sed puchra Venus visa mihi est, per auras  
Forte fugata vanas,  
Interim magno strepitu noctua proxima vltimo*

## V.

*Personuit volando,  
Inde piscis decidit & forma abiit puella:  
Sic spoliata preda  
Atque amoris delitiis, spe perique cuncta:*

## VI.

*An scelus hoc nefandum  
Noctua non insidiis sic nocua imputabo,  
Non mihi nunc abibit  
Latro, nec non sur, facinus morte sed expiandum est:*

## VII.

*Aut mihi reddat ore  
Sustulit quicquid precij, reddat amanti amores.*

*Dixerat: Accipiter dictis ita contulit æquis:*

## VII.

ACCIPITRIS REPLICA (CONTRA  
Ardeam.

**A**RDEA, crede mihi, est ardua cura tibi.  
Res diuersa fuit, nisi peragenda nec vno,  
Postquam ventre fames, corde moratur amor.  
Non potes huic, & ei puncto succurrere in vno,  
Ille oculis caret, his sed stimulatur amor.

Aut eat affectus vel edendi pectore cura,  
 Elige, cui dicas, tu mihi prada places.  
 Ut pedibus tracti fuerant, tua pabula, pisces,  
 Sic oculis captus, quo capereris, amor.  
 Ipsa tibi damnum, veluti tibi prada fuisti,  
 Tu pisces, tua sed pectora cepit amor.  
 Hunc desiderio cupidaque ut mente foueres  
 Ore lubens escam demis & oscula rapis.  
 Stulta, quid ingenuos vultus perquiris in vnda?  
 Non fuit hic Siren, nec speciosa Venus.  
 Sola sed in pleno Luna tibi lumine visa est  
 Noctua, pressa odiis sic odiosa tuis.  
 Illa tibi placitam submitit corporis umbram,  
 Si tantum umbra valet, quid queat ipsa, vides.  
 At lyra si placeat, dictis tua dicta refuto,  
 Carmina carminibus, queis simul orsus ait:

I.

**I**MPIA quin videris,  
 Filiam quod depereas, cuius aues parentem  
 Morte premi nefanda:  
 Noctua captans specimen caeca adamas tenebris,

II.

Hancque perire cogis,  
 Non socrum tractare decet te generum hoc ce more:  
 Nil quod erat, cupisti,  
 Quodque erat, liquisti in aquis, ceu canis ille carnem,

III.

Fabula quem recenset.  
 Gemma sed solatia praestet preciosa, dono  
 Quam dederat volucris  
 Aucupis sic: Crede parum, quae tua sunt, teneto,

IV.

Quae periere, linque:  
 Vultui ficto sub aquis cur cito credidisti?  
 Cur tua perdidisti  
 Ore aperto pabula? cur perditum vtrumque desles?

## V.

Noctua labis expers  
 Vltro quod concesserat, vltro repetit, relinquens:  
 Nil tibi, quod sonorum  
 Edidit murmur, nihil hoc est nisi motus, aura:

## VI.

Cur, rogo, non patentem,  
 Sicut vndam tu premis, hac aera verberaret?  
 Ergo molesta cesses  
 Fraudibus charam querulis ladere consobrinam.

## VII.

## PHOENICIS IVDICIS SENTENTIA aduersus Ardeam,

## I.

**I**VDICIS aqnioris  
 Est, ait Phenix, rigidis legibus haud abuti.  
 Sed reperire iusti  
 Non in hanc partem, nec in illam aequilibrem bilancem.

## II.

Sic mihi iam recurrit  
 Quamque vestrum posse suo iure frui integrato,  
 Ardea si capeffas  
 Ante quas vndas tenuisti, solitamque pradam,

## III.

Noctuaque instet vltimo  
 Luna dum splendet, referens sui micantem  
 Aequare, vt ante, formam:  
 Stulta tum longum poteris vultibus eius vti:

## IV.

Spe, sine re perenni:  
 Sic tamen ne noctua sit seruitio ligata,  
 Fasque sit illi abire,  
 Virgo si qua tum superest, iure tibi dicanda.

**H**Æc ubi fatus, erant non longa silentia facta,  
Psittacus humeros cum dedit ore sonos:

Psittacus

## VIII.

## P S I T T A C I Q V E R E L A :

**S**VB nomine actoris, viri alias docti & in reliquis artibus & scientiis satis eruditi, licet cum vulgo hac parte consentientis.

Cuius argumentum est: **Q**uod studium Chemiæ auocet animum à magis vtilibus & frugiferis scientiis, quales sunt Medicina, Iurisprudentia aut aliæ de pane lucrando: Cum econtra Chemica ars sit sterilis & inanis, deliramentis phantasticorum hominum plena, qui eam ad otioforum ingenia exercenda, cupiditatemque magna spe auri proposita explendam, manuum labore & sumptuum temporisque interpositione, inuentam & introductam voluerunt.

Psittaci natura & docilitas satis cuique nota est, neceget descriptione aliqua.

**N**OBILE Iustitia columnen, pulcherrime Phoenix,  
Quo refero, iudex, questibus æquus ades:  
Noctua crudeli quo me teterrima damno  
Laserit, hoc nequeo non memorare loco.

**P**RÆTERIERE suis aliquot iam mensibus anni  
Cum viridis vernaret adhuc mihi flosculus aui,  
Balbuties linguamque rudis nulla arte politam  
Obtegeret, nilque ipse loqui, nisi barbara possem  
Verba sono, volucrum siluestri more ferarum:  
Tunc dominus docuit me prima Elementa loquela  
Teutonice, iam forte sonis propriis, P APAGEIA,  
Terque quaterque dedi lætam, mea nomina, vocem:  
Vnde cibos mihi nectarios, dulcemque ministrans  
Ambrosiam, sit præco mea tam præcociis artis:  
Omnibus ex æquo meritis & iure videbar  
Gratior, inconstans sed enim fortuna recessit:  
Nostro namque malo noctuque diuque propinquos  
Accelerare gradus tentauit noctua strigis



In morem nocuae, tantoque inuidit honori:

Hui, Hui saepe vocans, hui, hui, sonat & sonat hui, hui,  
Bubo velut sola ferale dat arbore carmen.

Hoc ego dum sub mente noto, mecumque reuoluo  
Sapius ipse sonans, hui, hui, castigor & omni  
Dimenso spoliis, vinosae dulcibus vuae  
Saccabarisque epulis: tanto mihi noctua damno est.

Hæc sub corde sedet, poscitque iniuria pœnam,  
Pœnani dico, grauem, quæ sit bene consona factis,  
Ciuii vt pereat, si detur viuere, morte:  
Exul perpetuos vrbe exportetur in annos,  
Desertisque vlulare locis vt pergat, & artes  
Ne doceat malesana suas, gratasque loquelas  
Dedoceat gentes auiumve hominumve ministras.  
Hæc, inquit, priuata meo sub pectore curas  
Est concocta diu, sed enim nunc agmine facta,  
Ceui fluius superat, furiosave flamma reuiuitt.

Pfittacus his dans verba modis, velut ipse Tribunus  
Plebis haberetur, vulgi præcordia mouit,  
Sopitas odiis sic postquam exasperat iras  
Bile tumente nouis: fremitusque furorque sequutus  
Est omnis populi, placido velut æquore venti  
Exurgunt, feriuntque salis spumantia fluctu  
Littora, sideribus se æquat præfractus aqua mons,  
Claustraque aperta solique salique immanis hiatus  
Conspiciuntur, & ingens gurgite voluitur vnda:

Haud aliter stimulante furit plebs tota magistro.  
Ast pater aurato pacata silentia sceptro  
Persuadet blandis monitis, iubet atque seueris,  
Vt parere velint, & si quis cedere nolit,  
Nominas det, cœtu seseque alienet ab illo:  
Hæc iterum redit arte salus, paxque alma corona:  
Noctiuaga sed enim tutor mox astat & insit:



## ACCIPITRIS · REPLICA · CONTRA Psittacum.

**M**agnanimi dux magne gregis, generose volucrum  
 Arbiter, humana, doctus velut hystrio, vocis  
 Exagitavit aues mimisque minisque nefandis.  
 Ille Lycambeo furiosior vsque cothurno  
 Bacchatus fuit, & nulla ratione Theatrum,  
 Conciliumque sacrum memores commouit ad iras.

At virtus tua promicuit, ceu semper, in illo,  
 Ne quid agat rabies transuersum seuca, tumultu.  
 Vix est illa meis dignanda calumnia dictis,  
 Ne tamen ipse sua Parasitus se efferat arte,  
 Paucâ habeat responsa, dedit natura volucris  
 Cuique sonum, quem voce canat Philomela decenti  
 Ore melos modulatur, at ater terque quaterque  
 Crocitat coruus, gingrit saepe improbus anser,  
 Noctua sic vlulat, nec abest sua gratia cantu:  
 Solus at humanas imitatur Psittacus artes,  
 Ingenii venter quas largitor edocet illum:  
 His indulget inops mentis, neque noscere promptum,  
 Quid sonet, aut quodcunque rei discrimen habendum:  
 Quin? quod & alterius sumat simulacra volucris  
 Omnigeno cantu, gallina cacabat instar,  
 Mox, vt anas, queritur, grummitque vt amica luto sus,  
 Hinnit vt acer equus, teneros balatibus agnos  
 Mentitur, ridetque vt homo (ha, ha, ha) datque cachinnos:  
 Ergo quid est causa, cur non hos ante tribunal  
 Psittacus adducat, quorum cum vocibus edit  
 Carmina multiloquo non intellecta tenere?

Sic idem repetens Vlula modulamina fur est  
 Et plagij dignus (non est res parua) reatu:  
 Nam si non fas est alienis nomina libris,  
 Carminibusue suo nec Marte, nec arte paratis  
 Indre, seque aut horem operis praefigere tanti

*P*ſittacus humanis cur audeat edere voces,  
 Cur aliena ſua veluti ſua carmina lingua  
 Cantat & à cunctis transfert animalibus illa?  
 Cur (de quo modo lis agitur) ceu noctua clamat  
 Hui hui? reddat ei proprios pradator honores,  
 Obſeruetque ſuos, hac eſt moderatio iuris.

**T**ALIBVS applauſum dictis fuit & ſimul inſit  
 luſtitiae cui cura, animo fortiffimus Heros.

## VIII.

PHOENICIS SENTENTIA CONTRA  
 Pſittacum.

**P**SITTACE, nunc audita tua eſt mens auribus aequis,  
 Hæc ſed iniqua mihi nimium, nimiumque videtur  
 Dura, quod ob cantus, quos tu tibi ſumis ab illa  
 Exulet, atque omni ſpolietur noctua catu:  
 Non pleſtenda tua venit hæc innoxia pœna:  
 Ergo ſiſte gradum, metamque impone furori  
 Litis & ad pacem reliquas pietate volucres  
 Inuita, exemploque iuua, monitiſque benignis,  
 Sic tua perpetuos ſe gloria mittet in annos  
 Gratus eriſque homini, gratus mihi, gratus amicis,  
 Et cui cuncta, Deo, cedunt animalia, gratus.

*Monedula.*

**H**IS dictis vbi finis erat, ſimul inſtat, vt adſit  
 Exoneretque graues, queis preſſa Monedula quaëſtus:  
 Illa ſtat & crimen tacita ſub mente volutat,  
 Cuius agat queribunda ream, damnetque nocentem:  
 Tandem voce minax, geſtuque dicacula rumpit  
 Talibus illa diu non facta ſilentia verbis:

## IX.

**M**ONEDVLÆ Querela contra noctuam ſub nomine actoris a-  
 uari, qui paululum ſumptus olim in Chemicas operationes, ſed  
 fruſtra, contulerit.

Argumen-

Argumentum est: Chemiam furi non absimilem, cum furetur omnes impensas, labores & aetatem hominis, nec quicquam illi rependat, nisi cineres, tristitiam & stridorem dentium.

Est autem monedula avis auri & argenti furacissima, vnde nomen trahit à moneta, quam impense amet: sermonem quoque humanum quandoque addiscit, si linguæ eius solvatur vinculum.

**O**PTIME Phœnix,  
 Arbiter equi,  
 Pacis amator,  
 Litis & osor,  
 Non ego rixas  
 Nitot inanes  
 Tendere contra  
 Noctuum, vt hostem.  
 Nec mihi verbi  
 Crimina cura:  
 Grandia furti  
 Facta reuoluo,  
 Non rea tricas.  
 Quisquilia sive,  
 Siue lapillos  
 Abstulit vllot,  
 Illa monet as  
 Sed mihi charas,  
 Quas hominum arcis  
 Euacuassent  
 Et posuissent  
 Conscia nido,  
 Surrupuit clam.  
 Namque ego postquam  
 Terga dedissem  
 Aedibus vltro,  
 Illa volatu  
 Appropriavit,  
 Et tulit astu  
 Splendida tanta

Munera Gaza.  
 Ista mea sit  
 Summa querela:  
 Hinc peto summis  
 Optoque rotis,  
 Reddat vt ara,  
 Dignaque captet  
 Præmia pœna:  
 Sic ait, Eheu,  
 Et gemit auri  
 Pondera adempti,  
 Et lachrymarum  
 Flumina fundit,  
 Et simul alis  
 Pectora plangit.

## IX.

ACCIPITRIS REPLICA CONTRA  
 Monedulam.

**A**CCIPITER pro iure reâ responsa paratus  
 Reddere, cum linguis est mihi rixa refert:  
 Lingua nihil, nisi verba valet, modulosque sonoros  
 Pleclere, s: mala sit dat mare lingua mali.  
 Illa ciere potest homines ad prælia iustos,  
 Hanc scit adulator dissimulare dolis:  
 Froditor hanc nouit factis scelerare nefandis,  
 In noxam alterius sapius illa ruit.  
 Sic quoque fallendi tibi docta, Monedula, lingua est,  
 Digna equidem rana vincula quam arcta ligent.  
 Aut hominum cura si forte nouacula dempsit  
 Hoc vitium, vt rotum fauce scidisset onus.  
 Verum vt digna suis resonet vox vocibus, Echo  
 Carmina, quo dederas, reddet amica metro.

**M**IRA videtur  
 Res & iniqua,  
 Quod rea furti,  
 Teste vel ipsa,  
 Audeat atrox  
 Spargere tantum  
 Crimen in illam,  
 Quæ sit ab omni  
 Labe remota:  
 Quæque sit insons,  
 Nesciaque ausi  
 Tam scelerati,  
 Victa nec vlllo  
 Teste probato.  
 Tu modo fassa es  
 Aera quod arcis  
 Dempta tulisti,  
 Hoccine furtum est  
 Luce diei  
 Clarius ipsa?  
 Ergo probabis  
 Perfida, quod te  
 Hoc spoliarit  
 Noctua furto:  
 Si foret actum  
 Hoc, licet haud sit,  
 Quid tibi frontis  
 E<sup>t</sup>, iniquo,  
 Quæ tua non sunt,  
 Poscere iure?  
 Quæ meliore  
 Lege requiret  
 A te alienus,  
 Quem spoliasti.



PHOENICIS SENTENTIA IN Mo-  
nedulam.

**P**ARCIVS, inquit  
Arbiter, illa  
Obiicienda  
Sint ab vtraque  
Parte in vtramque.  
Namque fatebor,  
Iure rigente  
Es cruce digna,  
Furta moneta,  
Que modo fassa es,  
Noctua contra  
Nullius ausi,  
Nec rea furti  
Teste ligata  
Libera abibit.

**H**is dictis suffusa pudore Monedula retro  
Cedit, & auersos corripit inde gradus.  
Protinus illius sequitur vestigia Coruus,  
Si senio dandus forte sit ordo, prior.  
At quia rusticitas illi, moresque proterui,  
Esse queat reliquas vltimus inter aues.  
Rusticus at liceat possit, vilisque videri,  
Sæpe hominum voces lingua iterare solet.  
Doctrinæque capax Augustos ipse salutans  
Olim Romana notus in Vrbe fuit.  
SALVE AVGVSTE, sonans, dominos cum voce bearet,  
Indolis & nunc non immemor huius ait:

## X.

## C O R V I Q V E R E L A

**C**ONTRA noctuam sub persona actoris ex vulgo ineruditi & iudicio indiscreti, qui experientiæ suæ longæuæ multum tribuat.

Argumentum est : Si Chemia Lapidem Philosophicum vel tincturam aurificam vnquam produxisset, iam pridem ad aures & oculos hominum in mundo versantium peruenisset: quod cum neutquam factum sit, nil nisi fabula est, quicquid de eo narratur.

Corui humanam imitantur vocem: Vnde & in historiis Romanorum legimus, fuisse coruum, qui Romanum populum nominatim salutaret, maxime Germanicum & Drusum Cæsares: propterea Martialis coruum salutatorē vocat: In cibi & escæ penuria parentes senio confecti pullos concerpunt: Hinc adagium, Mali corui, malum ouum: Ore coeunt corui: Inauspicarum prælagium afferunt, cum glutunt vocem, velut strangulati:

In sequenti narratione corui, ouum inuentum materia Philosophica est, pullus inde exclusus, ipse Phœnix, qui arbiter, hoc est Tinctura Philosophica, Noctua, quæ exclusit, Chemia.

**P**ENNIGERI generis decus ô iustissime iudex,

*Sit mihi fas serie res memorare sua.*

*Mira dabo, sed vera, modo cognoscere cura*

*Sit, mea simplicitas qua monitura feret.*

*Tota velut dubio pendens examine causa*

*Acta sit & primo quomodo fonte fluat:*

*Hic erit haud parui præcium narrare laboris,*

*Omnis vt in promptu constet origo mali.*

*Nos, bene si memini, fuimus quandoque volucres*

*Quattuor vnanimi mente locoque pares.*

*Ipse ego longæuus senio, reliquisque reverendus,*

*Pica loquax, & qui garrula verba sonat:*

*Anser & insignis merito festisque dicatus*

*Vinicolis, qua nunc Martiniana vocant.*

*Forte per vmbrosam, iam sole vrente Leonem,*

*Cepimus ægræ astu, frigora grata nimis.*

Pars in gramineis lusit latissima Tempis,  
 Cantando arboribus pars operosa fuit.  
 Ecce valens lingua donis, celerique volatu  
 Garrulus, ouum ingens tollere gestit humo :  
 Miratur precium, miratur pondus & albi  
 Corticis haud visam suspicit ante niuem.  
 Cuius cui foret, ignotum est, in scriptio visa  
 Magni aliquid certis insinuare notis :  
 Accurrunt volucres, qui ac mirabilis artem,  
 Cuius erat testis ista litura, legunt:  
 MATER ADHVC VIRGO MIHI, CONCVBITVS PATER EXPERS,  
 SIT REGINA AVIS, HINC QVAE SOBOLEM EDIDERIT.  
 Obstupere, pauor cunctisque per ora cucurrit,  
 Exhorrent, plumis & tumuere suis.  
 Garrulus insonuit strepitu, crebrumque cachinnum.  
 Edidit (ha) tanta pro nouitate rei.  
 Et, videamus, ait, qua sit Regina futura.  
 Quilibet hoc ouum more suo foueat.  
 Ipse ego primus ero, vobisque exempla relinquam,  
 Sic retulit, nidos composuitque suos.  
 Nec mora, mirifico ingenio sublimis & arte  
 Ouum, qua potuit, sedulitate fouet.  
 Verum longa aliis multi fastidia menses  
 Dum praebent, nec quid spes daret ampla rei :  
 Impatiens tum Pica mora, quin traditis, inquit,  
 Hoc mihi Regina nomen & omen inest :  
 Ipsa ego sum, humanos agris comitata labores  
 Saepe & fetus, qua venit arte, scio :  
 Dumque ait haec, ouum petiit vique intulit acri  
 Arboris in positos fronde virente lares.  
 Incubuitque dies multas atque improba noctes :  
 Non tamen euentus res dedit illa bonos.  
 Omnis enim periit cura labor, omnis inanis  
 Temporis impensa est nocte dieque mora.  
 Res est visa diu natura aduersa, diuque  
 Quaestio per sylvas hac agitata fuit :

Anne potens ouum, viuoque calore repletum  
 Hoc auis, anne auibus contulit illud Eris?  
 Prebeat vt magna discordia semina litis,  
 Et sit apud volucres insidiosa lues.  
 Interea vicit vulgi sententia, quod sit  
 Res ea adhuc aliis experienda modis:  
 Non vni referunt, nec erit tradenda duobus  
 Sola fides, quam oculus plura vident oculi:  
 Ordine per totam res est tentanda cohortem,  
 Qualibet ingeniis incubet vsa suis.  
 Omnibus in sacro vota hæc placuere senatu,  
 Coruus ego tantas sustinuique vices:  
 Anser idem post me tentauit sedulus ouis  
 Qui solet excubiis experimenta dare.  
 Fouinus hoc nidis vigilans per tempora messis  
 Vnius, autumnum dumque abiere duo:  
 At nihil effectum nobis est omnibus, omnis  
 In vanum rediit cura simulque labor.  
 Hærebant animis volucres labentibus, ouo  
 Et tendi insidias mente sagace putant.  
 Tandem Palladis huc missa volauit Athenis  
 Noctua pennigero perniciose gregi.  
 Hæc risu lusuque diu iactatur. amaro  
 Lucifuga, infestis impetiturque iocis.  
 Impositumque illi, vt cupiat Regina volucrum  
 Magna saluari, semper & esse, choro:  
 Si modo sælicem queat hoc educere pullum  
 Ouo, Palladia non auis arte rudis.  
 Singula ne morer, his fuerint dicteria verbis  
 Quæ data salsa bonis. Noctua iussa subit:  
 Dumque fouet, iusto speratum tempore sætum  
 Edidit, heu quantus tunc pavor egit aues!  
 Reginam hanc nullo dignantur vocis honore.  
 Dicere, mox ira est ira nouata vetus.  
 Pullus at exclusus tali volat aliger ouo,  
 Visus & ex isto non fuit ille die.

Purpureum plumis fertur monstrasse colorem,  
 Ex auro solidos & tenuisse pedes.  
 Rostram, ut forma sonat, flauo resplenduit auro,  
 Et nisi ficta subest fabula, colla rosis.  
 Hunc aiunt similes sibi posse excludere fœtus,  
 Et speciem natis continuare suam.  
 At, ceu saepe solet, forte est iactantia vero  
 Maior & his addit credula multa fides.  
 Explorare licet tantum, hæc occasio rixæ  
 Prima fuit, dictas quæ stimulauit aues.  
 Nunc ego, quos contra posim depromere versus,  
 More meo, solida cum ratione canam.  
 Inde fremens rabie, singultrique ora resoluit  
 Orsus crocitu terque quaterque dato:

## I.

**C**REBRO noctua sibilo  
 Est & digna graui pectoris impetu!  
 Quod regina velit cani  
 Pracox nobilium vocibus alitum.

## II.

Ceu, si diis placet, ingeni  
 Raraque artis opus nixa sit arduum,  
 Fœtum nempe volatilem,  
 Qui mira valeat corporis iudole,

## III.

Plumarumque coloribus:  
 Coruo qui niueo rarior orbe sit:  
 Nugas res ea contegit!  
 Non est, crede mihi, talis auis solo

## IV.

Non vndis, nec in aere:  
 Quicquid dicitur est nil nisi fabula:  
 Nam si viueret, Indiæ  
 Aegypti aut Arabum fertilibus iugis,

## V.

Terrasve Antipodum procul,  
 Oras aut alias incoleret, maris



*Aut disjuncta sit insulis,  
Cur non huic generi innotuerit meo?*

VI.

*Cui longeva dies dedit  
Observare, quod est, experientia  
Nec quantum licuit mihi  
Explorare, fuit visa, volatibus*

VII.

*Integrum liceat solum  
Perlustrasset avis, qua volucrum modo  
Dictam viderit locis:  
Ergo noctua nil edidit improba*

VIII.

*Quo captet sibi gloriam,  
Reginae aut titulos, sed pereat suis  
Fumis, quos male vendidit:  
Talis magnanimum dux decet haud gregem.*

**D**IXERAT, hæc contra, Iudex mandabat vt inster  
Accipiter, si quid, quod rea dicat, habet:

X.

ACCIPITRIS REPLICA CONTRA  
querelam Corui.

**I**LLE, mihi postquam sit facta potentia fandi,  
Opto sit vt verax Coruus vt actor, ait:  
Non dubito, tua quin, Iudex iustissime, more  
Auris Alexandri, danda sit vna ree.

**N**ON mirum mihi contigit  
Ouum propter, aues quod modo litigent.

Oui cortice prodiit

Qua non extiterat femina pulchrior

II.

Lædēs quæ soboles fuit:

Hanc propter, velut est scripta libris fides,

*Armis Gracia perdidit  
Troianorum vt opes, mania sic solo*

## III.

*Aequans, fecit vbi inclytum,  
Vt sit campus inops, qua stetit Ilium:  
Ergo quicquid adest modo  
Dictum de volucris, noctua quam dedit,*

## IV.

*Ex ouo, reliquis nihil  
Excludentibus, est nil nisi veritas,  
Contra quam nequeat chorus  
Tum praesens auium mente resistere:*

## V.

*Multis namque fidelibus  
Ales visus erat tum, liceat fuga  
Extemplo abdiderit caput:  
Quod coruus miseris vocibus obstrepat,*

## VI.

*Et se nil capere aserat,  
Nec vidisse alios, arguit illius  
In tantis hebetudinem:  
Quid multis? vbi quis perneget hoc, quod est,*

## VII.

*Quod non viderit, impudens  
Testis nil reprobat, quam sibi nescium  
Pectus nilque scientibus:  
Non doctrina venit vera negantibus.*

## X.

PHOENICIS INTERLOCVTORIA SENTEN-  
tia contra Coruum lata.

## I.

**O** Corue, es nimium rudis,  
Qui quo bella feras inuida noctua,  
Sensus detrahis omnibus:  
Cæci de variis acre coloribus

II.

*Non est iudicium, sed is  
Ridetur merito iure videntibus:  
Ignorantia sic tuis  
Si nubes oculis obtegat, haud vides,*

III.

*Quod multis patuit die:  
Quid? si fœtus adesset modo noctua  
Nutrici editus, an dares  
Reginæ titulos Noctiuaga in clytos?*

V.

*Hoc certe ratio vocat,  
Ouo scripta que lex: Interea dies  
Hunc dum prostituat, dolis  
Noli perfidia scindere noctuam.*

POST sic Pica tulit:

II.

## Q V E R E L A P I C Æ.

SVB nomine actoris vulgaris loquacissimi:

Eo argumento, Chemiani esse falsam & inanem, nec vnquam in mundo inueniatur, etiam si longissime Chymicis det operam, qui vel tantillum in vera metallorum transmutatione præstiterit: Nam certe si magni principes nihil vnquam quid efficere potuerint, tot simplicibus, instrumentis, ingeniis, aliisque rebus necessariis pollentes, quid alij sperent hisce non ita instructi? Quod autem nullus vnquam illorum, etiam si totam vitam huic studio impederit, quid perfecti fecerit aut habuerit, ab experientia patet: Si enim habuissent, notum id esset omnibus, quod non est.

Pica dicitur eodem die commutare voces, eique expressiorem esse loquacitatem, quam Psittaco: Nidificat in arboribus: Omnibus lata est lingua, quæ sermonem imitantur humanum: Mart. lib. 7.

———Pica saluatrix si tibi Lauselaer:

Plinius ait, eas facilius dilcere, quæ glande vescerentur & quinos habent digitos in pedibus: Nullæ tamen duobus primis vitæ annis:

Pica adamat verba, quæ loquitur : nec discit tantum, sed diligit : E.  
moritur victa difficultate verbi : & nisi subiade eadem audiat, me-  
moriam fallitur :

## I.

— — — Non me dementia cepit

Digner vt ista fide:

Noctua quod tantam volucrem produxerit ouo

Vilis, inops & iners:

## II.

Quanta vel in patulo vix vnquam creditur orbe:

Edita nec fuerit :

Idque sat euincam : si non natura negaret

Pulchricomam hanc volucrem,

## III.

Iam dudum sobolem tantam IOVIS Ales haberet,

Nobiliusue genus:

Quicquid enim in lucem producere turba volucrem

Tam generosa nequit,

## IV.

Queis tot opes splendent plumis ac pectore præstat

Robur & ingenio :

Rustica non vnquam ac paupercula noctua tantum

Lucifuga edet opus:

## V.

Ipsa ego quod frustra tentavi ita nobilis ales,

Noctuanum peraget ?

Ergo luat meritas tanto pro crimine penas .

Et rea sit capitis.

## II.

ACCIPITRIS REPLICATA CONTRA  
Picam.

## I.

CREDVLA quod nolis nimiam cui pica videri,  
Approbo, dum studeas

*Alterius fama non insidiosa probari  
Voce nimis noua.*

## II.

*Dicere si non vera velis & credere nolis  
Vera, duplex fatua es:  
Est quoque nullius ratio tua ponderis, illa  
Dum malesana putes,*

## III.

*Noctua quod non ediderit tam nobile pignus,  
Cum sit inermis, inops:  
Nobiliore sata quod non potuere cubatu  
Promere tot volucres.*

## IV.

*Huic ego sic contra respondeo, Nobilis vna est  
Noctua præ reliquis,  
Ditior ingenioque opibusque, quod vnica nutrix  
Facta fuit sobolis,*

## V.

*Quam tot aues duris nequiere excludere testis,  
Nobilitatis honos  
Omnis inest propriis & claret gloria factis  
Nec venit inde ab auis,*

## VI.

*Rustica non igitur dicenda est noctua tanta  
Quæ dedit artis opus:  
Nec tu nobilior Regina, quæ nisi verba  
Grandia, nil dederis.*

## VII.

*Non rea, sed REGINA potens hinc noctua constat  
Teste vel inuidia.*

## II.

PHOENICIS SENTENTIA CONTRA  
Picam.

## I.

**P**ica, quid est frontis tibi, quæ sis ausa negare  
Visa tuis oculis?



Tute quod haud poteras, id noctua sola peregit,  
Ergo quid hanc laceras?

## II.

Ipsa tibi lecta est ouo lex scripta fouendo,  
Resque probata aliis:  
Denique speratum dederit quod noctua factum,  
Tu tibi testis ades.

## III.

Non igitur licet in dubium, quæ videris ipsa,  
Ponere, si sapias:  
Stultum est, quæ sensu patuere, infringere mentis  
Velle sagacis ope.

## IV.

Pluribus auritis oculatus dignior vnus  
Iudice testis erit:  
Irrita sepe viris etiam Experientia magnis  
Nil nisi vana probat:

## V.

Namque negata parum dant argumenta, nec alta.  
Quid rationis habent.

## XII.

## GARRULI QVERELA.

**S**VB nomine actoris ex vulgo imperiti, alias dicacissimi:  
Argumentum eius est, Chemiam esse fabulosam & fictitiam:  
Nam si Tincturam aurificam vere præstare possit, præterquam quod  
Magnates iam pridem illam in hæreditaria possessione habuissent,  
quod neutiquam verum est, non essent Chymici libri tot fabulis, fi-  
gmentis, allegoriis tenebrosis & vmbri inuoluti: Hoc enim falsita-  
tis eius indicium est, quod se sub illis æquiuocis, ambiguis, & fictis,  
nec aliter, abscondat:

Garruli, qui & graculi, loquaces sunt & obstreperi; dociles tamen  
& facile mansuescentes: Prouerbum eorum ruditatem declarat hu-  
i usmodi: Nihil graculo cum fidibus, nihil cum amaracino sui.

## I.

GARRVLVS mox obstrepenſ  
 Hiſ ſoluit ora carminum loquelis :  
 Teſtis adſum , noctua  
 Quod edidit nil tale, quale iactat,

## II.

Namque ſætuſ aliger  
 Eiuſmodi ſi viueret per orbem,  
 Principes hunc inclyti  
 Regesque magni ſape poſſiderent,

## III.

Sumptibus nec parcerent :  
 At nullus vnquam talium occupauit,  
 Inde ficta fabula  
 Eſt fraude ſparſa noctua peroſa,

## IV.

In tenebris dum cubat,  
 Ne ſole poſſit conſpici micante:  
 Nam quid vrget hanc nigris  
 Sedere ſolitariam ſub vmbriſ ?

## V.

Quam quod hiſce fabulis  
 Indulgeat, ſeſe buccinetur  
 Pallados cunctis auem?  
 Occumbat ergo morte legis aqua:

## VI.

Quæ iubet falſarios  
 Damnare, piſtrinoque.

## XII.

ACCIPITRIS REPLICA CONTRA  
 Garrulum.

## I.

VOCE præſtans Garrule,  
 Vix mente, forſan impudens negabis,

Esse prolem noctua

Hanc editam, quod principum nec aulis

Visitetur regiis:

At non necesse est, hic, ubi leones

Horridaeque Tigrides

Prostant, haberi nobilem hanc volucrem:

III.

Mille cum vulgarium

Desiderentur hic: sed & fuisse

Regibus quamplurimis

Sat cognitam Aegypti per arua quondam:

IV.

Deinde, quod vis noctuam

Sparfisse fabulas per ora vulgi,

Absque testimoniis

Profers inepte: nam quod hac tenebris

V.

Gaudeat crepusculi,

Natura fecit, vt lateret astu

Aucupantium dolos,

Et ne volucrum hanc perderet caterua.

XII.

## PHOENICIS SENTENTIA ADVERSVS Garrulum.

I.

**S**I quid armorum impetu

Vel corporis vi vel manus labore

Prostet orbis circulo,

Vt omnium rarissimum occupandum,

II.

Semper id ditissimi

Regesve debitum sibi obtinerent:

Sed volucris hac caput

Sub nube condit densiore, nec vult

III. vi

## III.

*Vi capi, nec robore:*

*Hinc regibus vix innotescit vnquam,*

*Et manet liberrima:*

*Quæ si Dei cui sit relata dono*

## IV.

*Attamen non euolat,*

*Ne vulgus ignarum rei laceffat,*

*Inque sese concitet:*

*Ergo vides, quam mens tibi sinistra*

## V.

*Noctua tendat necem:*

*Quæ delitescit & cauis sub vmbriis*

*Tuta degit, vt decet*

*Nutriculam tam nobilis volueris:*

## VI.

*Namque casta virginis*

*Pro more, vultus contegit pudicos,*

*Vulgus ore friuolo*

*Ne tangat, impio procax abusu.*

## XII.

## ANSERIS QVERELA CONTRA NOCTUAM.

**S**VB nomine actoris ex fece vulgi, multum sibi tribuentis, suoque ingenio gloriantis, qui sit Epicuri de grege, venter, cui anima profale data:

Argumentum eius est, Chemiam esse odio dignissimam, nec aliquo in precio habendam, sed omnino ex hominum medio reiiciendam: quia irretiat, quoscunque semel attigerit, ne vnquam inde abstrahi queant, donec damno suo irreparabili at nimis fero prudentiores fiant: si enim diuitias tantas promittit & præstat, cur non illi diuitiis abundant, qui Chemiæ continue adhærent, aut si Tincturam aliquando dedit perfectam, cur non hæc in eius veritatis testimonium alicubi habetur & conseruatur præsentanea?

Anseris, utpote domestici, natura est sat cognita.

**H**IS confinis erat vox queruli tristior anseris:  
 Non Regina mihi dira celebrare noctua,  
 Cuius nil hominum seu caro seu contulit vsibus  
 Plumarum decus, aut pennigeræ ala aut labor improbus,  
 Non pinguedo, nec aluo edita fax, omnia quæ ferunt,  
 Si me respicias, commoditates homini vtiles:  
 Lectos pluma beat, dimidium queis homo conferat  
 Vita, dum recubans his fruitur noctibus integris:  
 Dulci carne gulam pascō, velut de medicamina  
 Ventris face simul penna meis eruta brachiis  
 Mundi sceptræ tenet, quicquid erit siue negotij,  
 Hac reges dominantur populis iuræque dant suis:  
 Hac mandata ferunt, officiis imperat omnibus:  
 Pennæ gratus honos, nec locus est, quem vaga non petat:  
 Ne dicam, mihi vox quod data discriminet in pares  
 Horas certa dies, excubias postquam ago peruigil:  
 Vt dotes alias præteream, dicta vel hæctenus  
 Regina titulos contribuent non tibi, Noctua,  
 At nostro generi, respice te, nil quod inutilis  
 Præstes tale, sed incommoda des plurima singulis,  
 Dum terres vlulando volucres atque hominum genus,  
 In te pennigeras dum bipedes concitans  
 Arces in pedicæ aucupis & retibus implicas.

At quod diceris ouo volucrem dotibus inclytam  
 Eduxisse, nihil veri habet, hoc nec patitur fidem:  
 Nam si mater eris tam generositalitis, vt putas,  
 Seu nutricula, cur ille abiit, te reliquerit,  
 Cur non assiduus ceu comes it, teque beauerit  
 Matris nomine, cur omnibus haud cernitur obuius?  
 Nugas mobile per vulgus agens rea criminis  
 Falsi, ficta fouens, te volucrum vt suspiciant greges  
 Reginamque ferant, sideribusque aequiparent poli:  
 Ast impune nihil dixeris aut feceris illius.



## XIII.

ACCIPITRIS REPLICA ADVERSVS  
Anferem.

**R**EGEM te fateor posse volucrum diademate .  
 Dignari , modo si regis erit prostitui omnibus  
 Vili seruitio : ansercule sed falleris , haud tua  
 Virtutis generosa nota , sed degeneris subest  
 Mentis : Non leo , sed praestat ovis commoditatibus  
 Inter Quadrupedes : ille tamen rex erit , haud pecus :  
 Si iactes epulis quod venias gravior , hac tibi  
 Laus communis erit cum suis , teque dicat neci :  
 Si penna decus aut vellera pluma recitas tua ,  
 Bombyx anteit omnes volucres , quae dat opuscula  
 Mirandi ingenij , queis hominum se genus extulit ,  
 Aut morus foliis arbor habebit titulos ducis ,  
 Praebens vermiculis bombycinis delicias tibi :  
 Nescis tardigrado tergoribus pondera quanta sint  
 Comportanda asino , dum superest , si nece concidat ,  
 Scriptura tabulas praebet habens cuncta negotia  
 Vni inserta sibi , non ideo est Rex animalibus ,  
 Armentum sed iners , haud aliter conueniet tibi .  
 Cui prudentia , virtus animi , Noctua qua valet ,  
 Digna est imperio inter volucres iureque regio .

Non hac damna lubens fert auibus voce , vel aucupis  
 Captiua insidiis amice longo posita , ast ira volucrum  
 Ipsas precipitat funera in atrociam , noctuam  
 Dum infestare student : nec ratio est ponderis vllius ,  
 Quam proferens , vbi matri cupias huic comitem fore  
 Luci si peperit fors anem mirificam , at fuga  
 Cum sese abdiderit , facta negans omnia respuit :  
 Nutrici nec enim indiuiduus factus adest comes :  
 Hinc conuitia sunt , quae retulisti male noctuae .

PHOENICIS SENTENTIA INTERLOCUTORIA  
aduersus Anserem promulgata.

**V**T regem statuas te, immodica laude tumes, gula  
Quod sis seruus, at hoc imperij nil tribuet tibi.

Hinc & noctiuago perstrepis impune calumniis,  
Verum non via virtutis est, qua petitur decus  
Regni inter volucres: friuola adhac mens tibi dicitur at  
Argumenta leuis, cur volucrem flauicomam neges  
Hac nutrice datam: quod sociam non videas simul:  
Vox hac inuidia prater habet signa nihil rei:  
Cedens ergo loco ne maledictis preme noctuam  
Infonsem, nec enim sat fuerit detrahere alteri,  
Verum iudicio dicta graui reddere conuenit.

**P**OST QUAM ita ordine omnes, quotquot aderant volucres suas:  
querelas protulerant, singulaeq; responsum æquissimum, vtpote  
partim inuidæ & calumniosæ, partim reipsa iniuriosæ erga Noctuam  
innocuam inuentæ, accepissent, ac mox silentium consecutum esset,  
PHOENIX alias, si quæ adessent, aues suas quoque querelas proferre  
iussit, verum cum nullas præterea foro præsentis percepisset.

Nunc ergo, inquit, ad decisoriã ac litis finitoriam sententiam,  
quam iam pridem exoptauì, accedendum erit: Quocirca iubeo, vt om-  
nes æquis adstetis animis, mihi que, vt hætenus, in omnibus obse-  
quamini: Hæc enim hora est, quæ pacem inter aues & noctuam, hoc  
est, toti pennigero generi reducet: Et mox in Heroicum carmen ora-  
tionem suam conuertit, vt sequitur:

**A** RMA, auiamque feras cura est nunc tollere pugnã,  
Noctua queis fuit infestata, nec hæc valuit se  
Eripere haud vnquam, nullius conscia labis,  
Illa nihil meruit sceleris, quod morte piari.  
Exilic ve queat: sed enim virtutibus vna  
Omnibus inuenta est excellere, Pallados ales:  
Ergo luor abi, mens candidaque adsit honesti:  
Ingenuo valet illa acri sapienteque digna.

En fruitur facie, qualisque humana videri, aut  
 Proxima posuit ei, nulli est obnoxia culpa,  
 Moribus insignita bonis, studiosa laborum,  
 Noctibus inuigilans, nocuos comprehendere mures  
 Docta, fouens hominum sic commoda, luce diurna:  
 In solis residere locis quod gaudeat, huic non  
 Id vitij, at vestro (quibus est exosa) furori  
 Imputo: dumque rei nulla est, me Iudice, causa,  
 Cur adeo in fontem impetitis rostrove, vel vngue:  
 Hanc ego victricem volucrum pronuncio verax  
 Arbitrator, omnigenas expendens iure querelas.

Enego sum presens vobis, qui queritur ALES;  
 Editus ex ovo, quamuis tentastis id omnes  
 Quatuor extremo dicti nunc ordine, frustra:  
 NOCTVA ceu nutrix gratas me lucis in auras:  
 Protulit, hoc illi pro munere debeo vita  
 Munera si qua manent nostris amplissima nidis.  
 Ipse ego sum PHOENIX, cui chara Noctua matris  
 Praestitit vna vices, sine qua non atheris vsum  
 Embryo nactus eram: SIC VOS NVNC IPSA REFVSTAT,  
 Et falsi insimulat, mea sic presentia litem,  
 Et querulas auium voces sententia finit..

INDE *Mihi Regina animum virtute, labore,  
 Ingenio, mentis, multiplice doteque praestans  
 Illa salutanda ac totum est dicenda per Orbem:  
 Nec quisquam inuideat titulos & nomen honoris:  
 Magnifici posthac vel sceptri grande Brabeion:  
 Sic etenim est conclusum: HAEC STAT SENTENTIA  
 MENTI.*

IVDICIS:  
 Sententia:  
 Olim.

Dixerat: obstupere omnes, simul eque corona

Seretulere domum : nec quicquam tristius illo  
Tempore mussatum est, quam quod REGINA volucrum  
Noctua dicta foret : remanent discrimina litis  
Antiquæ renouata, licet contraria iuri:  
At Phœnix Arabum petiit iuga grata volatu  
Protinus, & nostris post non est visus in oris.

F I N I S.





1383-982 bound with

2/12

582

017

